
EMERICI

CRVCEI

IN PVBLII PAPINII STATII SYLVAS COMMENTARIVS.

Accessit Somnium Philoceltæ eiusdem poëmatium.

Cum Indice copiosissimo.



PARISIIS,
Sumptibus THOMÆ BLAISE, via Iacobæa, sub signo D. Thomæ.

M. DC. XVIII.

Cum Priuilegio Regis.



AD LECTOREM.

EN Syluas Parthenopææ Sirenis cantu personantes, in quibus vt spatiarer, lector, & mea naturæ propensio fecit, &, si bene auguror, tua. Magna enim pars mortalium, ait Plinius, studiorum amœnitates quærir. Enimuero quid amœnius his Syluis, quid iuuentuti ad poëticam facultatem vtilius? fremant licet omnes superciliosi ac tetrici censores, vnum hoc volumen Æneidi multis dotibus æquandum, stili quidem & argumenti varietate opinor præferendum. Nunquid enim genethliacorum, topographiarum, Epicediorum, & similium carminum materiam copiosius suppeditat, quorum tenuia duntaxat vestigia in Marone cernas, cum tamen in istis hodierna pöësis tota ferè occupetur? Nec facio iniuriam diuino poëtæ, si hunc cum Statio contendam, quando ad magistrum non parum laudis ex discipuli aut imitatoris commendatione redundat. Certe qui vtriúsque scripta diligentius euoluerit, non dubitabit mecum pronuntiare, Statium Virgilio secundum extitisse, vel parem. Quò maiorem laudem promerentur qui hunc poëtam seriò aggressi sunt à situ & tenebris vindicare. Horum agmen duxit Domitius, qui Statianas syluas (de his enim loquor) iusto commentario illustrauit. Sequuti Bernattius, Morellus, Tiliobroga, in iisdem partim explicandis, partim ex probatiorum codicum fide emendandis non pœnitendam operam collocarunt. Nec sine piaculo præteream Politianum, Beroaldum, Parrhasium, Sabellicum, Ptol. Flauium, Iacobum a Cruce, Turnebum, Scaligeros, Lipsium, Casaubonum, Behotium, & totam ferè eruditorum cohortem, qui in easdem syluas sæpe diuerterunt, & decerptas ex ipsis ἐπιφυλλίδας benignè communicarunt. his accessit Ianus Casperius Geuartius, iuuenis multæ lectionis, & qui superiores Statii scholiastas in discrimen vocare

poterat dignitatis, si lectiones illas suas iuxta Horatii monitum diutius aliquantò pressisset. Nimirum peccamus plerique hac in parte, & crudos ingenii fœtus emittimus, quibus fortasse prouectior ętas maturitatem attulisset. At maior certè debetur posteritati reuerentia, nec in illo calore tentanda sunt aut prouocanda iudicia huius æui. Multa tamen sunt in illius commentario proba, nec publici saporis, quæ vbi res suadebit, non occultabo. Neque enim placent qui alienæ laudis obtrectatione honori suo velificantur, & muscarum more læuia ac sincera pręteruolantes, salebrosis aut affectis adhærescunt. Ego rectè & secus scripta quanquam dispari affectu, pari tamen candore ac libertate noto, nihilque aliud mihi in mente, nisi Reip. literariæ dignitas, & fructus studiosæ iuuentutis, à qua si vel mediocrem qualicumque hoc labore gratiam iniero, mihi plurimùm gratulabor.

Ἄλλεται ὀφθαλμὸς μευ ὁ δεξιὸς

Nisi forte libellus iste exiguitate vilescat apud nonnullos, qui scripta magnitudine solent æstimare, & compacta volumina digiti crassitudine metiuntur. At ego breuitatis à natura studiosissimus, inutile putaui prolixis aliorum interpretum obseruationibus commentarios facere auctiores. Itaque ea attigi duntaxat, quæ ab illis omissa sunt, aut secus quam decebat explicata. Inerrat adhuc auribus meis illud laconis, qui pusilla vxore ducta causam percontanti facetè respondit, ex omnibus malis minimum esse eligendum. Sic ex tot operosis in Statium commentariis hic noster breuitate fortassis placebit veriuerbium notissimum cogitanti, μέγα βιβλίον μέγα κακόν. Nobis certe animus & conatus laudabilis non defuit, cuius, vt alia desint, conscientia tacita perfruemur.

DE STATIO.

STATIVS poëta sublimis, eóque nomine commendandus, quòd nemo propius ad Virgiliani carminis maiestatem accessisse videatur. Fastidiosi quidam eum vt prætumidum damnant, offensi videlicet grandi illius verborum sono, qua tamē virtute Epici tragicique vates præcipuè censentur, vt honorarius ille Arbiter in Satyrico pronuntiauit. Sed eum à calumnia satis vindicant magni Scaligeri & aliorum Criticorum elogia, quæ toties iterare nihil

necesse. Patria illi Neapolis, vt diserte indicat sub finem syluæ secundæ, & in Ecloga ad vxorem. Qui Tolosanum faciunt nominis similitudine decepti fuere. Duo enim Statij à temporibus principum numerantur. Vnus rhetor qui sub Nerone floruit, de quo Eusebius in Chron. & hunc Tolosa suum vendicat. Alter poëta quem nunc tenimus. De cuius nominibus non minor contentio inter eruditos. Multi enim putant ita appellatum, *Statium Papi-Papinium Surculum.* Alij verius hæc tria nomina illi tribuunt *Publij Papinij Statij*, vt fuse disseruit Geuartius.

DE SYLVIS.

SYLVÆ, quod ad præsens institutum attinet, poëmatia sunt subito calore effusa, & quasi extemporalia, vt docet Fabius lib. x. Quod nomen eo sensu his libris conuenire vel ex Statio ipso discas, qui in epistolis passim prædicat & excusat suam in fundendis eiusmodi carminibus celeritatem. Ratio nominis opinor petenda est à materie arborum seu Syluarum quæ rudis ex se & impolita est, nisi ars & industria hominis accesserit, vt indicat Quintilianus loco citato. *Diuersum*, inquit, *est eorum vitium, qui primum discurrere per materiam stilo quàm velocißimo volunt; & sequentes calorem atque impetum ex tempore scribunt, hoc Syluam vocant, Repetunt deinde & componunt quæ effuderant.* Vide Scaligerum 3. poët. Porrò de his syluis insigne est Sabellici iudicium cum ait. *Velles Papinium Statium tam dextro ingenio Thebas fortißimúmque Achillem quàm Syluas decantasse, si non maius nomen, maiorem certè gratiam inde haud dubiè retulisset. Nulli vnquam poetarum, quod sciam, magis proprium fuit subito œstro incalescere ac vbi incaluisset fortius ac felicius debacchari, vt quantuncumque Phœbum hauserit ac nescio an etiam maiorem confestim eodem calore reddat. Cuperes, dixi, omnem eius operam in Syluis locatam. Nihil est illis amabilius, floridius, magísque poeticum.* Hic Syluæ Thebaidi præferuntur flore poëtico & amœnitate. An etiam tempore? Constat siluas diuersis temporibus à Statio scriptas, & Thebaidem longo temporis tractu, vti decuit, procusam fuisse, cùm interim ille hæc poëmata prout res inciderat, vel sibi vel amicis scriberet. Editam quidem prius Thebaidem docet abunde in præfationibus lib. 1. & 4. Idémque in Sylua ad Marcellum claré testatur à se Th[illegible]

dem ante quasdam Syluas,& Achilleidis libros elaboratam. Verba eius sunt

——— Iam Sidonios emensa labores
Thebais optato collegit carbasa portu.

Postcà subdit ex interuallo.

Nunc vacuos crines alio subit insula nexu,
Troia quidem magnúsque mihi tentatur Achilles.

Vnde patet hanc saltem Marcelliam Syluam, post absolutam Thebaidem scriptam fuisse. Nec tamen id de omnibus Syluis pronuntiare licet, vt de balneo Etrusci, cuius occasione Statius videtur illud opus tantisper intermisisse.

SCRIPTORVM QVORVNDAM HONORIFICA DE STATIO ELOGIA.

Iuuenalis Sat. 7.

Curritur ad vocem iucundam & nomen amicæ
Thebaidos, lætam facit cum Statius vrbem,
Promisítque diem, tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantáque libidine vulgi.
Auditur.

Sidonius Apollinaris. *Si quis*, inquit, *carmen prolixius eatenus duxerit esse culpandum quod epigrammatis excesserit paucitatem, istum liquidò patet neque balneas Etrusci, neque Herculem Surrentinum, neque Cunas Flauij Sabini neque omnino quicquam ex Papinij nostri Syluulis lectitasse, quas omnes descriptiones vir ille præiudicatissimus non distichorum aut tetrastichorum stringit angustiis, &c.*

SCRIPTORES TAM VETERES QVAM NOVI QVI *in hoc Commentario citantur, exponuntur, notantur.*

Acro
Aelianus.
Aeschylus.
Agathias.
Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Appianus.
Apuleius.
Apollonius.
Archilochus.
Aristides.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Arrianus.
Artemidorus.
Athenaeus.
Avantius.
Augustinus.
Avicenna.
Aurelius Victor.
Ausonius.
Baptista Pius.
Baronius.
Behotius.
Bernartius.
Beroaldus.
Boëtius.
Brodaeus.
Budaeus.
Bulengerus.
Caelius Rhodiginus.
Callimachus.
Capitolinus.
Catullus.
Casaubonus.
Castellius.
Cassiodorus.
Castalio.
Chrysostomus S.
Cicero
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Columella.
Corippus.
Cornelius Nepos.
Cornificius.
Cuiacius.
Curopalates.
Cyprianus.
Dio Cassius.
Dio Chrysostomus.
Diodorus Siculus.
Dionysius Halicarnasseus.
Dioscorides.
Domitius.
Euripides.
Eusebius.
Eustathius.
Festus.
Firmicus.
Florus.
Frontinus.
Fulgentius.
Galenus.
Gellius.
Gevartius.
Glossarium.
Gratius.
Gregorius Nazianz.
Gregorius Turon.
Guntherus.
Gutterus.
Hadrianus Iunius
Heliodorus.
Hermolaus Barbarus.
Herodianus.
Herodotus.
Hesiodus.
Hesychius.
Hieronymus D.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Vidas.
Higinus.
Homerus.
Horatius.
Iacobus à Cruce.
Ianus Gulielmus.
Imperatorum Codex.
Iosephus.
Isidorus.
Iurisconss. Pandectae.
Iustinianus.
Iustinus.
Iuvenalis.
Lactantius.
Laertius.
Lampridius.
Latinus Pacatus.
Laurentius Ramirez.
Lilius Giraldus.
Lipsius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucretius.
Luctatius.
Ludovicus Vives.
Lycophron
Macrobius.
Mamertinus.
Manilius.
Manutius.
Marsilius.
Martianus Capella.
Martialis.
Mathiolus.
Menander.
Modius.
Morellus.
Moses.
Muretus.
Musaeus.
Nazarius.
Nicephorus.
Nicetas
Nonius Marcellus.
Nonnus.
Onuphrius.
Orosius.
Orus Apollo.
Ovidius.
Panegyristes ad Constant.
Parrhasius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iovius.
Pausanias.
Persius.
Petronius.
Petrus Faber.
Pettus Victor.
Petrus Crinitus.

Phile, appendix.
Philoſtratus.
Phranzes.
Pierius.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius vterque.
Plutarchus.
Pollitianus.
Pollux.
Polybius.
Pomponius Mela.
Porphyrio.
Priſcianus.
Probus.
Procopius.
Propertius.
Prudentius.
Ptolemæus flauius.
Quintilianus.
Reuardus.
Robortellus.
Rufinus.
Rufus.
Sabellicus.
Salluſtius.
Sannazarus.
Scaliger vterque.
Scholiaſtes Ariſtophanis.
Scholiaſtes Pindari.
Scholiaſtes Sophoclis.
Scholiaſtes Callimachi.
Scopas.
Seneca vterque.
Seruius.
Sidonius.
Silius Italicus.
Sigonius.
Simocatta.
Solinus.
Sophocles.
Spartianus.
Statius.
Stephanus.
Strabo.
Suetonius.
Symmachus.
Tacitus.
Tertullianus.
Themiſtius.
Theocritus.
Theodoretus.
Theuetus.
Theophilus.
Thucidides.
Tibullus.
Titus Liuius.
Trebellius Pollio.
Turnebus.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Varro.
Velleius Paterculus.
Vibius Sequeſter.
Virgilius.
Vitruuius.
Vopiſcus.
Xenophon.
Xiphilinus.
Zonaras.
Zoſimus.

IN SYLVAS STATII AB EMER. CRVCEO ILLVSTRATAS.

Crux Sylua ob tenebras fuerãt, tua Crucee lãpas
Eſt mala crux tenebris, eſt bona lux teneris.

Iſac de la Grange Pariſ.

Delituit Statius ſyluarum abſtruſus in vmbra,
Nunc illi lucem Crucee reſtituis.
Ergo age literulis variet tua nomina binis
Philologus, χρύσεον dicat & Emeritum.

P.Caſtelot.Norm.

Obſcuros ſyluarum audes penetrare receſſus
Et luſtrare tua Crucee ritè face.
Nec te inculta mouent, cacis vel opaca tenebris
Tot loca, Dædaleis vndique flexa viis.
ô Quantos torſiſſe animos alta illa poëſis
Dicitur, & paucis quàm bene nota viris
Nempe tibi hunc Statij ſeruarunt fata laborem,
Viribus illa fuit crux ſubeunda tuis.

P.Bounaut.Aruer.

ANAGRAMMA.

EMERICVS CRVCEVS.
ECCE CVR VER MVSIS.

ECCE *tuis* CVR VER MVSIS *mellite Papini.*
Namque tuas ſyluas triſtis habebat hyems.
Non illa Zephyri ſpirãti blandius aura,
Sed Crucei ſcriptis hoc peperere decus.

Ludov. le grand. Tricas.

Cur tua verſa ſonant vernantes nomina Muſas?
Nempe tibi ex illis nomen honóſque venit.

Idem.

A



IN EPIST. LIB. I SYLVARVM.



B VBITO CALORE. Aptè caloti iungitur ſubiti epitheton: Vttaque enim vox meditationi anxiæ opponitur. Sic apud Sophoclem in Antig. θερμὴν καρδίαν interpretari licet animum promptum & celeritate quadam mentis inſignem. Is calor poetarum ingeniis inſitus eſt quo poſſunt iξ αὐτοσχεδίης καλὸν ἀείδειν vt de Mercurio prodit Homerus in hymn.

Sed non omnibus contingit ingenium in numerato habere. Soli Vinicio hanc laudem tribuebat Auguſtus teſte Seneca in contrŏuerſiis.

HABERETIS. Plin. epiſt 2 lib. 1. *Edendum autem ex pluribus cauſis maxime quod libelli quos emiſimus dicuntur in manibus eſſe quamuis iam gratiam nouitatis exuerint.* Scriptis ſuis Plinius gratiam à nouitate, Statius à calore aut celeritate captat.

A IOVE PRINCIPIVM. Adulatio tranſlatitia. Veteres enim reges ſuos Ioues appellabant. Infra Cal. Decemb.

Dum noſtri Iouis hi ferantur imbres.

Serui dominis ita blandiuntur interdum vt apud Plautum in Caſina. Adeo autem familiare fuit in ſeriis præſertim rebus præfari hos Ioues humanos, vt Heluidius prætor Veſpaſiani principis odium metuiſſe notetur quod eius nomen in ſuis edictis tranſmitteret Sueton. c. 15. Veſp.

DEDICAVERAT. Statuæ & imagines dedicari ſolitæ. Tacitus 3. Annal. *Cum Marcelli effigiem D. Auguſto Iulia dicaret* Plin. lib. 34. c. 10. *Venerem exeuntem è mari Auguſtus dicauit in delubro patris Cæſaris.* Veteris lapidis inſcripto apud Gutherum lib. 3. de iure pontif.

C

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC LVDOS FECIT
ET DEDICATIONE
STATVAE PATRONI
QVAM IPSE POSVIT
ET CLVPEI SVI ITERVM
MVNICIPIBVS NEPESTINIS
EPVLVM DEDIT

Lege Suet. in Tib. c. 74. & in Calig. c. 7. Dion. lib. 57. Plin. lib. 36. c. 15. & Dionem Chryſ. in Rhodiaca.

PRO COLLEGA MENTIERIS. Duæ ſunt expoſitiones huius loci apud Domitium quarum poſteriorem amplector, nimirum vt collega pro ſocio & conſorte ſtudiorum accipiatur, iuxta illud ſyluæ 2.

——*tecum similes iunctaque camœna*
Stella mihi multumque pares bacchamur ad aras.

Collegæ enim dicuntur qui sunt eiusdem ordinis, aut conditionis. Ita D. Cyprianus Episcopus alios præsules vocat suos collegas epist. 50. Fortasse autem notatur hic collegium Minervæ à Domitiano institutum de quo Sueton. c. 4. Domit. A

NOCTEM INEXPERTAM. Expertum passiuè dici testis Priscianus lib. 8. ideoque inexpertam noctem expone quam nemo hactenus expertus fuerat. Tibullus eleg. 1. lib. 2. eodem sensu dixit:

Primus inexperta duxit ab arte choros. Tametsi non inficior aliter legi & exponi posse hunc versum.

Notat vero hic Statius spectacula quæ plerumque ad lychnuchos noctibus Domitianus edidit, vt apud Suetonium legere est, & Xiphilinum. Nocturnam Saturnalium lætitiam memorat Liuius lib. 23. *Decembri*, inquit, *mense ad ædem Saturni immolatum est, lectisterniumque imperatum & conuiuium publicum ac per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatum.* Tertull. de Idololat. *Non lauor Saturnalibus ne noctem ac diem perdam.*

IN EQVVM MAX. DOMIT. B

SYNOPSIS.

Domitianus varias expeditiones suscepit in Cattos, Sarmatas & Dacos, à quibus aliquando victor rediit, sæpe victus. Sed vanissimus princeps acceptas clades occultari posse ratus per subornatos quosdam emissarios ac nuntios victoriarum suarum famam in vrbe spargebat, cuius ambitioni ciuium Romanorum assentatio certatim obstetricabatur. Is itaque duplicem de barbaris triumphum egit, cui omnes perinde ac honori legitimo applaudebant. Publicam gratulationem cumulauit inter alia ornamenta statua equestris quam Domitiani genio. S. P. Q. R. erexit. Hoc argumentum huius syluæ in qua equum & sessorem mirifice extollit, vtrumque à magnitudine, ab artificio operis, & à comparationibus illustribus. Mirum ergo videatur Statium solius equi nomen huic poëmatio præscripsisse: nam & in superiore epistola hos versus in equum Maximum à se factos aperte ait. Sed ex encomio quadrupedis effigiati satis gloriæ ad dominum bipedem putauit redundare.

MOLES GEMINATA. Geuartius Geminate hic pro copulate & coniungere exponit, & voces illas, *superimposito colosso*, casui dandi non auferendi assignat. Id vtcumque probarem, si moles à colosso rectè distingueretur, sed Plinius aduersatur lib 34 c. 7. *Moles*, inquit, *excogitatas videmus statuarum, quas colossos vocant turribus pares.* An igitur impropriè loquutus Statius? Nusquam, sed si codex aliquis suffragetur ausim legere in hunc modum. C

Quæ superimpositi moles geminata colossi.

Sic Martialis molem colossi & molem Amphitheatri dixit lib. 1. τὸ Superimpositi referam ad basim aut aream, vel columnam, cui colossus superstructus. Columnæ enim suppositæ statuis. Lampridius in Alex. Trebellius in Claudio. Non placet legere cum aliis, *Gemmata*.

COLOSSO. Multi Romæ colossi de quibus P. Victor in descriptione vrbis Insignis Neronianus centum pedes altus de quo Dio lib. 66. Plinius, Suet. & alij Nominis etymon ἀπὸ τοῦ κολούειν ὄσσε, quod imminuat prope atq; hebetet visus, altitudine sua aut fulgore. Festus tamen à Caleto quodam deriuat Rhodij colossi opifice, sed valde su spe ta est hæc originatio. Non enim Caletus sed Chares Lindius colossum Solis fabricatus est, vt ex Plinio constat lib. 34. cap. 7. quod non vidit aut dissimulauit Calderinus, Scaliger multo oculatior obseruauit.

LATIVM COMPLEXA FORVM. Simili amplificatione dixit noster de arbore Atredij infra lib. 2.

——— *opacat*

Arbor aquas complexa lacus.

A Latium forum est Romanum vt apud Martialem.

COELONE PERACTVM. Alibi legitur *Caeloneperauras*. Vtrobique alluditur ad signa ἐνσημα de quibus Herodi.in Commodo,& Plut. in Numa. Vt per cœlum interpretet subli-mem pictumque æthera. non tam me mouet ratio Geuartij quam diuisio sententiæ in verbis sequentibus: *Siculis an conformata caminis*, quæ sane aut nulla aut inuenusta esset, si cælatoris instrumentum exponeretur. Miror autem acutos Statij interpretes hic omisisse θεανδρικον illud ἐκτύπωμα quod Romani Mauritio imperante colebant. Simocatta lib. 2. c 3 illud ἀχειροποίητον vocat,aptè ad hunc locum.

EFFIGIES.frustra accusandi casum pro recto substituit Parthasius. Aures Atticæ respuût hanc syneedochen duriusculam: *Moles conformata effigiem*. At effigies reliquisse lassum Steropen cōcinnè dicitur,qua ratione suprà in epistola de sua Thebaide dixit Statius: *Quamuis me reliquerit*.id est quamuis eam absoluerim,vel quamuis eam emiserim.

GERMANICE. Primus hoc cognomen adeptus est Drusus Tiberij frater qui illud posteris transmisit.Sueton.in Claud.c.1.

DOMVS ARDVA DACI. Domus pro qualibet habitatione etiam amplissima, vt regione aut vrbe Domus Aeneæ est Roma in 3. Aeneid. huc spectant vetustæ illę inscriptiones.

B *Domo Praeneste, Domo Cremona*,id est, Prænestinus & Cremonensis: & apud Suet. P. Vitellius dicitur,*Domo Nuceria*, eodem sensu.

NOTVM PER SAECVLA NOMEN.Nomen pro re ipsa.Tibul.

——— *nec fidum femina nomen*.

Ariadne apud Ouidium in epist.

Nam pater & tellus iusto regnata parenti

Prodita sunt facto nomina chara meo.

Virgil.in Diris. ——— *& fidum nomen agelli*.

Quamobrem & apud Græcos interdum καλεῖσθαι pro εἶναι vsurpari notauit Eustathius in Homerum. Varro de re rustica: *sequitur*, inquit, *secundum illud quali terra sit solumfundi & à qua parte bonus aut non bonus appelletur*.

MIXTA NOTIS BELLI. Male explicat hunc locum Parrhasius dum per notas belli, cicatrices interpretatur.Quæro enim vbinam legerit fuisse eiusmodi vulnerum vestigia in vultu Domitiani. Expone speciem oris ex militari quodam vigore & vrbana comitate temperatam, quam vere an falso Papinius Domitiano tribuit ? Philostratus sane hunc aspectu trucem depingit in Apollonio, Plinius in Panegyr. eundem superbiam habuisse in fronte, iram in oculis. At de eodem Suet.c.18. *Statura*,inquit,*procera*,*vultu modesto ruborisque pleno*,*praeterea pulcher ac decens*. Concilia hos scriptores. Si verum omnes dixere,apparet

C cur poëta dixerit sui principis ora,

Mixta notis belli placidamque gerentia pacem,

Huius formæ multa exempla profert Geuartius.Vide & Bebotium in Apophoretis.

AMPLIVS ARMIS. Non erat necessaria correctio Bernartij legentis, *Amplior*. Nam τὸ *Amplius*rectum est, & qualitatem denotat non tempus. Exhausta arma dicuntur hic vt bella exhausta initio 4.Aeneid.

PROPELLIT STRIMONA FLATV. Exprimit id quod Latini grammatici dicunt Hippacare, id est celeriter animam ducere Festus lib.8.Isidorus hippitare dixit, ab equi halitu. Ingens flatus roboris indicium.

OBVIA LIMINA PANDIT.Iulia limina à fronte colossi statuit,id est templum Iulij Cæsaris, quod in foro Romano seu Latio collocatur. Eius meminit Plinius lib 35. cap.4. Victor, Rufus, & alij vrbis descriptores. Limina autem pro templo, vt limina Pacis apud Martialem & limina Iani apud nostrum infra.

PRIMVS ITER. Primus Imperatoris titulo regnauit Iulius vt Suetonius refert, & ex eo Gueuara in epistolis aureis: & primus Romanorum principum inter Deos relatus. Verba illa ASSERTAS MVNERE PROLIS ostendunt priscum morem quo liberi parentes vita functos priuata religione consecrabant.Plut.problem.14.in quæst.Rom.

DAS CATTIS DACISQVE FIDEM. Cattos præposuit Dacis ordinem temporum sequutus & dignitatis. Nam & de illis prius triumphauit Dione teste & maiorem ex Germania quam ex Dacia victa gloriam merebatur: At Catti Germaniæ populi quibus prostratis Domitianus Germanici cognomentum assumpsit. Martial. præfat lib. 8. A Quam vero mimici fuerint hi triumphi constat ex eodem Dione qui scribit Domitianum nō modo à Germanis fugatum, sed à Decebalo Dacorum rege pacem mercatum fuisse à quo vicissim arma & viros aliquot quasi captiuos acceperit ex quibus pompam instruxerit imaginarij triumphi. Sed ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nihílque simulatum potest esse diuturnum ait Cic. 3. offic. Itaque Tacitus in Agric. testatur derisui fuisse falsum illum de Germania triumphum. Et Orosius. *Pranissima*, inquit, *iactantia elatus sub nomine superatorum hostium de extinctis legionibus triumphauit*.

ET MINOR IN LEGES IRET. Duplicem interpretationem in hunc locum tentat Geuartius frustrà. cum vero ita legit.

Et minor in leges iret gener & Cato nostras.

Et putat Statium per leges nostras κολακικῶς Cæsarianas intellexisse: Nam Domitianus, inquit, Cæsarianis partibus successerat, vnde rectè illius partes quas Romani tunc temporis omnes sequebantur appellauit nostras in gratiam τοῦ ἀντικρέοντος, quid mirum narrat? Periculum scilicet erat ne quis Domitianum Pompeianum fuisse putaret. Sed & nouam illam emendationem fulcire nititur infirmo tibicine, epigrammate Martialis quod plane est ἀπροσδιόνυσον. Enimuero nihil hic mutandum censeo & verba poëtæ sic interpreror ex Parrhasio. Si bellum ciuile tuis esset auspiciis gestum, si Iulij Cæsaris personam sustinuisses, gener Pompeius in leges tuas iret. id est, cōditiones pacis à te oblatas acciperet. Minor, nempe superbo Magni cognomine deposito tibi fasces vltro submitteret. B Cato etiam iret castris, i, in tua castra. Ire in leges eadem forma dictum qua *ire in partes* & similia. Ire castris vt infra. Ire Polo. Ratio Syntaxeos mutata hærere coëgit interpretes. Sed multa Grammatici concedunt poëtis quæ oratoribus vix ignoscerēt. Quod si quid hic innouare licet, vocem *Iustis* pro *Castris* substituerim clarissimo sensu. Quas leges Pompeio Cæsar obtulerit, notum ex Plut. & Appiano.

CASTRIS Cæsarianis & tuis, κατ' ἐξοχὴν nam Pompeiana castra appellatione non dignatur. Frustra est Domitius cum aliter exponit.

IVLIA TEMPLA. Domitius Iulia templa Capitolium exponit: Aliquanto rectius Ptolemæus Flauius templum Veneris genitricis Sylloge 4. Coniect. Sed placet magis interpretari Basilicam Iuliam de qua Vitruuius lib. 5. & Suet. in Calig. Templum enim generali notione est locus qui ab omni parte aspici vel ex quo omnis pars videri potest, vnde contemplari verbum Festus lib 3. Hinc cœli lucida templa apud Lucret lib. 3. & alibi. Codex manuscriptus Lipsij præferebat. *Iulia tecta*. quam lectionem confirmat illud Martialis lib. 6. ep. 38. C

& infantis Iulia tecta patent. vbi Basilica Iulia intelligitur. Malè exponit hunc locum Rosini commentator de templo Iulij Cæs. Iam enim illius facta mentio.

REGIA PAVLI. Regia est basilica de hac Pauli regia Plut. in Cæs & Plin. lib. 36. c. 15.

TERGA PATER. Domitius ædem Martis exponit nempe Vltoris quæ in foro Augusti non procul ab hoc Domitiani equo sita. Alij templum Iani cui patris cognomen est familiare. Iacobus à Cruce Bonon. templum Pacis à Vespasiano conditum ait significari, quod Romano foro proximum fuisse liquet ex Martiali & Herodiano. Sed assentior Parrhasio Vespasiani patris Domitiani templum hic interpretanti, quod Regiæ Pauli necnon ædi Concordiæ cuius hic mentio vicinum fuisse docet P. Victor. Nec huic sententiæ obstat, quod tradit Theodoretus templum Vespasiani vna cum ipso periisse. Potuit enim à Domitiano perinde atque alia opera restitui. Deinde superstes saltem area & nōnullæ si fortè ædificij superstructi reliquiæ. nomen antiquum vt fit retinere potuerunt, quicquid coniiciat Marsilius in Suet. Vespasianum.

TACITA VIGILET FACE, Ignis vigilare dicitur & viuere. Florus de Numa. *Imprimis*, inquit, *focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad eius simulacrum cælestium siderum custos imperij vigilaret flamma*. Eiusmodi ignis Vestæ in face asseruabatur, vt indicat hic locus & con-

firmant nummi veteres in quibus deæ imago altera manu facem, altera discum præfert cum hac inscriptione. *Vesta P. R. Quiritium.* Tacitam facem poëta vocat in operto custoditam, quoniam vt ait Ouid.

A *Ignis inextinctus templo celatur in illo.*

EXPLORATAS MINISTRAS. Mirificè blanditur Domitiano tanquam inspectori censoriique grauissimo pudicitiæ Vestalium, qua de re Suet. & Plin. lib. 4 ep. xi. Illud verò epitheton exploratas referri videtur ad historiam notissimam Claudiæ Vestalis de qua Liuius Valerius & plures.

DEXTRA VETAT PVGNAS. Parthasius existimat simulachrum victoriæ Domitiani dextram insedisse, quam sententiam vt ridiculam Geuartius exagitat, minus rectè, cum ea testimonia scriptorum proferat quæ expositionem Parthasij astruant, nedum confutent.

Præterea ratio qua pugnat futilis & in ipsum retorquenda. Nam, inquit, cum poëta dicat in sinistra manu fuisse effigiem Palladis, si in dextra victorialem collocemus, ambabus manibus occupatis sedebit Imperator instar baiuli, & nulla ratione frænum tenere poterit. Postea subiungit, Aio Domitianum dextra manu gestasse ramum oliuæ. Nonne videt se nunc admittere quod paulo ante improbabat. Dicet forte ramum illum

B leuiorem nec valde impediuisse dextram. Idem & pro se Parthasius asseuerabit de Victoriæ iconibus, quas cum Victoriolas Cicero vocat, satis innuit minime onerosas fuisse: nec sane id decebat pennatum numen, vt ab Ennodio indigetatur. Denique quid prohibet dicere effictum Domitianum vtraque manu occupata. Non enim producendus erat Colossus ille contra hostes. Satis sit, nihil ab opifice expressum, nihil à poëta affictum præter statuæ decorum. Neque tamen reiicio Geuartij interpretationem, dummodo fateatur alias quoque posse defendi, imprimis illam Politiani cui vna cum eruditorum cohorte applaudo. Quædam tantum addam veluti succedanea. Dextræ extensio non modo pacantis sed & quouis modo imperantis fuit Symbolum. Apud Lucanum Cæsar,

———tumultum
Composuit vultu dextraque silentia iussit.

Virgil. lib. 12.

At pius Aeneas dextram tendebat inermem,
Nudato capite atque suos clamore vocabat

Vide plura in hanc rem apud doctissimum Morellum. Dextra igitur Domitiani pacata, læua Pallade clypeata insignitur, vt belli pacisque artes denotentur.

C CEV STIMVLIS ACCENDAT EQVVM. Alij Codices *accendit.* Non sunt hæc diuellenda à superioribus, vt sic constet sententia. Medusa expressa in elypeo Palladis horribili specie commouet equum. Scilicet ita hanc Ægidem gestat Colosseus Domitianus, vt porrecta longius læua eam sonipedis oculis objiciat ac prætendat, qui insolito aspectu ad cursum non aliter quàm stimulis aut calcaribus incitari videatur. Respexit Statius ad illud Hesiod. in scuto Herc.

ἐν χερσὶ σφριγμένος ἧκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
αἰγίδ᾽ ἀναστίσασα ποδὸς ἐνάχιζε δὲ γαῖα.

LECTA DEAE SEDES. Mineruæ cultui imprimis addictus fuit Domitianus, eiúsque filius audire ambiebat. Testantur id Fabius & Philostratus lib. 8. Apoll. & Suet. c. 15. Domit. Hinc Pallas Cæsariana Martiali epig. 1. lib. 8. & palatina epig. 5. lib. 5.

NEC SI PATER IPSE TENERES. Melius teneret. Non libentius acquiesceret dea in patris Iouis gremio quàm in Domitiani dextra etsi ille relicto cœlo terras moderaretur, vel etsi eius diuinitas insideret in pectore Domit. quod mundi curis distringitur. Propria imperantium est publici cura. Vlysses. lib. 13. Metam.

Aspicite en (vestémque manu deduxit) & hæc sunt
Pectora semper acti vestris exercita curis.

Non omittam emendationem. v. c. Papillonij Aduocati Paris. hunc locum ita legentis. *Nec si patruipsa teneret,* &c. Quæ sanè aptissima sententiæ Papinij videtur: fruere igi-

tur quisquis hunc Poëtam non innitus legis.

IT TERGO DEMISSA CHLAMYS. Connecte hæc cum superiore versu: Chlamys hausta metallis Temeses, est ex ære: talis enim materia fuit huius statuæ. Chlamys quidem purpurea insigne imperij. Sidon. Carm. 2. Corippus lib. 2. A

Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa Chlamys rutilo quæ ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra

Satis etiam placet correctio Behotij. *Et enise totis, &c.*

LATVS ENSE QVIETO. Ensis interdum lateri applicitus, interdum ex humero pendulus. Vterque modus & olim obseruatus & hodie inualuit. De priore Seneca in Agam actu 3.

Iamque ense fessum miles exonerat latus.

Ouid. 3. Amorum

Ense latus cinctum quod tibi seruit erat

Statius. 1. Thebaid.

Forsan & accinctos lateri (sic ira ferebat)
Nudasset enses.

De posteriore Hom. 2. Iliad.

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον. B

Virg. lib. 9.

Sic ait illacrymans, humero simul exuit ensem

Cuinam autem lateri enses aptarentur dextro an sinistro fusius disseruit Lipsius in Polibij militiam & Casaubonus in Strabonis quartum.

AT SONIPES HABITVS. Græcorũ licentia syllabã breuẽ ob cæsuram produxisse videri potest. Sed præterea obseruent tirones in ratione metri aspirationem vim habere consonantis. Virgil. Eccl. 6.

Ille latus niueum molli fultus hyacintho. Et 7. Æneid.

—— Turnique canit hymenæos

Martialis epig. in Leuinam.

Penelope venit, abit Helene

Catullus in Coma Beren.

Qua rex tempestate nouo auctus hymenæo.

Puerilia hæc sunt, fateor, sed quæ viros ignorare dedeceat, & tota hæc literatura, hac laude cæteris artibus præstat, quod plus fructus & vtilitatis quàm ostentationis habet, necessaria pueris, iucunda senibus, dulcis secretorum comes, vt ait gloria Romanæ togæ Quintilianus. C

TERIT VNGULA RHENI CAPTIVI. Arcæ solique vicem præstat equo Cæsaris Rhenus, cuius effigiem vngula terit. Parrhasius. Captiuum Rhenum vocat Statius, vt captiua flumina Claudianus, quæ scilicet in pompa triumphali ad victoriæ notam ostentabantur.

ADRASTAEVS ARION. Hunc equum noster commendat 6. Theb. vbi tres eius dominos cõmemorat Neptunum, Herculem & Adrastum regem, vnde Adrastæus hic appellatur. Homerus Il. ψ.

οὐδ' εἴ κεν μετόπισθεν Ἀρείονα δῖον ἐλαύνῃ
Ἀδρήστου ταχὺν ἵππον ὃς ἐκ θεόφιν γένος ἦεν. Diuinum genus vocat Homerus ob Neptunum patrem vel matrem Cererem vel terram. Variæ enim de hoc animali fabellæ, quas qui exequeretur, operosè nihil ageret. Paus. in Arcad.

VNI SERVIET ASTRO. Equus Domitiani vni illi domino seruiet, non duobus vt Cyllarus, cui Castor & Pollux lucida sidera per vices insident. Turnebus in aduers.

SED GENIO. Principum statuis genius quidam inest veneratione & cultu dignus. Plin. in Panegyr. ad Trai. *Non apud Genium tuum gratias agi sed apud numen, Iouis Opt. Max. patris.* Persius Sat. vlt.

Dijs igitur genióque ducis centum paria ob res Indicte.

Statius infra lib. 5.

Et mitem genium Domini præsentis adorat

Tertul. *Citius apud vos per omnes deos quam per vnum genium Cæsaris peieratis.* Tacitus 2.
A Hist. Vitellij genio aras positas scribit. Athenæus lib. 6. *δαίμονα βασιλέως* vocat.

TV BELLA IOVIS. Attingit victorias Domitiani, quas pari verborum compendio designat initio Thebaidos. De Capitolio ab eodem defenso Tacitus 3. hist.

ME NON AVDENTE. Lipsius in electis ita legit. *Me non gaudente* quam lectionem eius optio Bernartius tuetur: Putant illi Reip. literariæ proceres vulgata lectione Curtium seipsum timoris arguere, præter decorum. Sed longè aliter capio hæc verba in hunc videlicet sensum. Si mea ætate vixisses Imperator, non dubitasses pro patria te deuouere, teque præcipitem dare in hunc hiatum me non audente, id est, si nō ausus essem. Galli dicerent, *au cas que ie n'eusse le courage.* Superuacaneum est nostram expositionem firmare similibus locutionibus quæ vel pueris facilè veniant in mentem. Statius supra eadem forma dixit,

——*Te signa ferente*

ET MINOR IN LEGES, id est, si signa ferres aut tulisses. Atque hæc sententia & Domitiani in patriam affectum ostendit, & est Curtio loquenti non indecora. Alienum potius ab eo foret, inuidere vbi viros Reipublicæ amantes & indignari illos secum de patriæ charitate certare. Huc accedit Antithesis in illis vocibus. *Tentasses & me non audente:* cuius venustas corrumpitur Lipsiana interpolatione.

B CEDAT EQVVS. Verum hoc versu & tribus sequentibus vnius equi fiat mentio, iure dubites. Videntur enim hic duo equi comparari, cum equo Domitiani, equus Cæsaris & equus Alexandri qui à Lysippo factus Romam cum aliis Græciæ delitiis trāslatus fuerit, deinde Neronis iussu inauratus effigiem eiusdem tulerit quod ex Plin. lib. 34. obseruauit Iacobus à Cruce. Sed contra verborum series & structura arguit poëtam vnum equum in animo habuisse. Hunc ergo locum sic exponit Domitius. Vult, ait ille, Papinius videri Lysippum statuariū à quo solo Alexander opera sua sculpi voluit huius equi Cæsarei opificem fuisse. Sed cur vellet videri id quod à nullo historico memoratur? Doctissimus Morellus ait comparari hic equum Cæsaris equo Alexandri M. quia vterque non patiebatur alienum sessorem. Ne hoc quidem satisfacit, & mens poëtæ fuit non illos equos inter se, imò potius vtrique equum Domitiani comparare. Geuartius huic loco parum benignam manum admouet. Secat enim & integrum versum cum duobus hemistichiis delere non dubitat. Quod si hac ratione licet per scriptores grassari, omnia facile expedientur & in procliui erit quibuslibet librorum vulneribus facere medicinam. Ego primo versu equi Cæsarei instar putem intelligi, sequentibus equum illum à Nerone inauratum iuxta Iacobi Bonon. sententiam. Itaque per Cæsarem, hic Neronem ex-
C pono. Nec me deterret ab hac interpretatione particula Mox. Hæc enim ordinem tantum temporis non continuatam eius successionem significat, vt apud authorem Panegyrici ad Constantinum. *Sanctè Tybris quondam hospitis moniter Aeneæ, mox Romuli conseruator expositi.* At inter Aeneam & Romulum quatuor fere sæcula intercesserunt. Mox ergo idem est ac deinde.

VIX LVMINE FESSO. Aegre quis intenta acie metiatur quam iaceat hic equus infrà illum Domitiani, vel vix explores & obtutu cōprehendas quàm intendere oporteat aciem hunc contemplanti ab illo, i. præ illo. Parthasius. Eandem sententiam aliis verbis expressit Boetius initio, lib. 1. de philos. *Quæ cum caput altius extulisset, ipsum etiam cælum penetrabat respicientiúmque hominum frustrabatur intuitum.*

CVM SVPERIS TERRENA PLACENT. Nocturno tempore dij terras inuisunt, vt qui nolunt humano aspectu contaminari. Turnebus lib. 14. aduers. Piget referre Domitij interpretationem. Sed & vmbræ eodem tempore in terras redeunt. Virgil. in 5. Aeneid. & Propert. eleg. 7. lib. 4.

ET SOROR. Domitilla cui Domitianus frater sacerdotium instituit, vt ex vetusto marmore docet Onuphrius.

OMNIBVS ASTRIS. Dij Flauiæ gentis nempe Vespas. pater, Titus & Domitilla eius liberi insessuri sunt Colossum Domitiani. Pharrasius.

POPVLI MAGNIQVE SENATVS MVNERE. Itaque Senatus populusque beneficium fuit

hæc statua. Trebellius in Claudio. Pop. Rom. suo sumptu in Capitolio statuam auream decem pondo (alibi legitur decem pedum & quidem verisimilius) collocauit. Alioqui priuatis non licuit statuam publicitus ponere iniussu principis. Suet. in Calig. Plin. epist. 17. lib. 1. A

ATTICVS ELAEI SENIOR IOVIS. *Sector* legendum putat Lipsius. Senior tamen defendi potest, vt Atticus senior sit Phidias, & genitiui illi, Elæi Iouis referantur ad *τὸ*, *Similem*, non ad *τὸ* Senior. Vide Geuartium.

ORA TARAS. Ita legunt Sabellicus Politianus & alij. Nam Taras nomen vrbis notissimæ quæ Tarentum alias dicitur. Hesychius & Stephanus. Ibi fuit colossus Iouis ad quem hæc verba referenda sunt vt ex Plinio & Strabone rectè colligit Geuartius. Qui tamen nimis acerbe priscam lectionem, *Ora Tonans*, videtur reiicere.

AMIS TERRAS. Simili adulatione blanditur Domitiano sub initium Thebaidos,

—— maneas hominum contentus habenis

Vndarum terræque potens & sidera dones.

Imitatio Virgilij & Horatij.

DARE THVRA. Is honos habitus illustrium virorum Statuis Cic. 3. offic. *Omnibus vicis statuæ factæ sunt, ad eas thus & cerei.* Plin. epist. ad Trai. 97. lib. 10.

B

IN EPITHALAMIVM STELLÆ ET VIOLANTILLÆ.

Synopsis.

STellæ amico & sodali gratulatur auspicatissimas eius & Violantillæ nuptias. Illum cómendat à nobilitate generis ab honoribus partis & à poëtica facultate: hanc à modestia laudat à magnificétia & pulchritudine quæ vel Iouem ipsum illiciat. Concinne autem fingit Cupidinem cum Venere de his nuptiis agere, iisque Musas, Elegiam, Apollinem, Bacchum cæteraque blanda numina interuenire.

HVMEROQVE COMANTI. Exprimit habitum citharœdi musicum instrumentum portantis. *φόρμιγξ* enim seu cithara humeris gestatur teste Hesychio. Horat. 1. Carm. C

Insignemque pharetra

Fraternáque humerum lyra

Comatum Apollinem venuste describit Apul. 1. Florid. At facundum ebur hic metonymice pro cithara vel lyra ex ebore compacta. Cornific. 3. ad Herm. *Citharam*, inquit, *Auro & ebore distinctam*. Apul. loco citato. *Quid quod lyra eius aurofulgurat, ebore candicat, gemmis variegat?*

ALTERNVM FACTVRA PEDEM. Turn. lib. 5 aduers. c. 3. hæc verba interpretatur de Elegia, quia Elegiaci versus sunt impariter iuncti vt ait Horat. & alternis variantur, nunc longiores mox breuiores. Quam expositionem vt non improbo, sic nemini dubium est alternum facere pedem eos qui saltant. Horat. Ode 4. lib. 1. de choreis Nympharum & Charitum.

Alterno terram quatiunt pede.

Geuartius interserit caninam literam & legit *fractura*. qua emendatione cur glorietur non satis perspicio. Nullum enim istius phrasis exemplum profert, saltem quod sit sententiæ eius asserendæ.

NOVENA LAMPADE. Conuenit sacra illa parabola de decem virginibus. Notatur autem hic ritus veterum qui in nuptiis ignẽ & aquam adhibebant, siquidem præter faces ac tædas

tedas in aquali titio afferebatur, vnde & hic lampadis & infra vndæ Pierię fit mentio.
A Vide Scalig. coniect. in Varronem. Festus lib. 1. *Aqua & igni interdici solent damnatis quæ accipiunt nouæ nuptæ.* Hinc ignem vndámque iugalem dixit. Val. Flaccus lib. 8.

ELEGEIA PROPINQVAT. Eandem in Epicedio Tibulli inuocat Ouidius.

Flebilis incomptos Elegeïa solue capillos.

Hanc enim ait decimam cupere videri, ad Sapho poëtriam respicit quæ Musa decima cognominata est.

MANV NVPTAM. Fuit hoc munus pronubæ manu ducere sponsam. Sed & viri interdum illud obibant, nec sponsas duntaxat sed & sponsos apprehendebant. Trebellius in Galieno. *Nam cum fratrum suorum filios iungeret & omnes poetæ Græci latinique epithalamia dixissent cum ille manus sponsorum teneret.* Claudi. de nupt. Pall. & Celer.

Tum dextram complexa viri dextrámque puellæ
Tradit & huic vl.ro sancit connubia dictis.

LVMINE DEMISSAM. Notat virginalem Violantillæ verecundiam, cuius proprium est solo figere oculos, non eos impudenter attollere. Talis habitus laudatur in Aspasia quæ Cyrum amore flagrantem vix sustinebat rectis oculis intueri. Aelianus lib. 12. c. 1. Var. hist. Cuius verecundiæ nota est rubor, vt hic & apud Virgil. lib. 12. Boëtius lib 1. de
B consol. philos. *Hic ille chorus increpitus deiecit humi mæstior vultum, confessúsque rubore verecundiam limen tristis excessit.* Eleganter autem verecundiam fœminis imperat vt decoram Seneca Controu. 15. lib. 2. *Matrona,* inquit, *quæ se aduersus sollicitantes tutam volet, prodeat in tantum ornata ne immunda sit, habeat comites eius ætatis, qui impudicos si nihil aliud verecundia annorum remoueant ferat iacentes in terram oculos, aduersus officiosum salutatorem inhumana potius quàm inuerecunda sit, etiam in necessariam vicem resalutandi multo rubore confusa.*

CAVSASQVE SACRI. Sacra in nuptiis olim vt hodie vsitata, ἐπιγάμιοι τελεταί vocantur Græcis vt Curopalatæ de coronatione Imperatoris. Seneca in Octauia vbi de huius Heroinæ nuptiis.

———Vidit attonitus tuam
Formam Senatus, thura cum superis daret
Velata summum flammeo tenuis caput.

Val. Flaccus lib 8.

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras, &c.

GESTIT MINOR IRE MARITA. Venus se deam dissimulat, ne fulgore diuinæ pulchritudinis Violant. Formam quasi minus lumen offuscet. Sponsæ enim verentur in-
C primis ne sua species pulchrioris comparatione decrescat, quò spectat illud veteris poëtæ apud Nonium

Accedo ad sponsum audaciter
Virgo nulla est talis Setiæ

Catullus in nupt. Mallij & Iuliæ

Prodeas noua nupta
Flere desine, non tibi
Aurunc.ei periculum est
Ne qua fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.

NEC GRATIA CESSAT. Gratiæ in nuptiis spargunt flores & alia odorata. Apul. de coniugio Cupidinis & Psyches *horæ rosis & floribus purpurabant omnia, gratiæ spargebant balsama.* Claudi. de nupt. Honor. & Mar.

Tu festas hymenæe faces tu gratia flores
Elige, tu geminas concordia necte coronas.

Serta quidem & coronæ in nuptiis vsitatissima. Theocrit. in epithal. Helenes, Plautus in prologo Aulul. Martian. Capella lib. 6.

Conscia iam Veneris noua serta parate Napææ

Lege Festum in *Corolla*. Verum hic locus refertur potius ad φυλλοβολίαν quam ad coronamenta. Illa quidem in omni fere lætitia ac gratulatione solennis vt ex Linio & Plut. in Flaminio constat, adde Heliod. lib. 9. & Pindarum ode 9. Pyth. & Herodianum lib. 4. Sponsos tamen coronis honestatos Sidonius testis epist. 5. lib. 1. Apul. lib. 4. Plautus in Casina & Simocatta lib. 1. c. 1. A

OLENTI SPARGERE THYMBRA. Geuartius legit. Nimbo, sed nullo authore. Nemo dubitat vocem nimbi huic loco posse conuenire, at correctionis culpam præstare non audeo, præsertim cum Lutatius in iiij. Thebaidos tradat Thymbræum Apollinem dici ab herba thymbra quæ in eius dei templo abundat. Quidni igitur thymbræ sparsio conueniat in Stellam Apollinis alumnum? Eandem iure olentem hic appellari constat ex Dioscoride.

PARCARVM CONDITVS ALBO VELLERE. Parcæ apud poëtas coniugij fata nent, auspicari quidem albo vellere. Quam ob rem noster infra 4. Sylu. vocat Atropon albam Sidon. in epithal. Polem. & Aran.

Prosper connubio dies coruscat
Quem Clotho niueo benigna pensis
Albus quem niueis lapillus Indis
Aeternúmque virens oliua signat. B

Catull. in Argonaut. & Sen. in Menippæa.

PROFESSVS HYMEN. Professæ merces quas mercator vectigalium redemptori declarauit vt vulgo loquimur. Et profiteri censum est ad censores bonorum æstimationem nomenque deferre. Profiteri liberos pater dicebatur cum recens natos apud acta denuntiabat vt ex Iurisconsult. & Capitolino iampridem docuit Budæus prior. in Pand. Hoc ergo sensu professus hymen exponi potest in acta relatus. Nam in publicis monumentis matrimonia scribi cum multi testantur tum Cælius innuit epistola quadam ad Cic. his verbis. *Paula Valeria naptura D. Bruto nondum retulerat*, id est, nondum in actis scribi curauerat. Huc spectat & illud Iuuen.

Fient ista palam cupient & in acta referri.

Profiteri & in acta referre idem. Nec absurde quis professum hymenæum exposuerit relatum in tabulas matrimoniales de quibus Imp in C. de nupt. In tabulis enim condictiones matrimonij scribi consueuisse palam est ex Apul. in Apol.

Idem Iuuenalis

Si tibi legitimis pactam iunctámque tabellis
Non es amaturus, ducendi nulla videtur
Causa. C

MENDACES OBLIQVI CARMINIS ASTVS. Acumen interpretum hæc referentium ad carmen Stellæ quo Violantillam suo nomine Asteridis celebrauit! Valde amicum demereretur Statius si eum mendacij tam disertis verbis insimularet. Miseret me hominum qui tot verba perdiderere dum Parrhasium sequuti docent poëtas fictis nominibus amicas solitos appellare. Id quidem assentior, sed nego poëtam hic Stellæ versus intelligere, imo potius aliorum mordacia & iocosa carmina interpretanda censeo, qualia fere in procos aut sponsos illustriores iactati solent: quæ obliqua dicuntur, id est, ambigua, quoniam non aperte sed cum ambiguitate famam lacessunt. Similia sunt ea dicta quæ Macrob. vocat morsus figuratos c. 3 lib. 6. & Fabius schemata lib 9. quæ scilicet figurate & sub velo perstringunt. Non ergo obliquum carmen est illud duntaxat quod verum nomen dissimulat, vt nimis tenuiter & ieiune definit Geuartius, sed quod amphiboliam quandam habet. Qua ratione Apollo Λοξίας nominatur ob responsorum ambiguitatem. Exemplum huius obliqui carminis in sponsum est apud Virgil. in Pharmac. Nicetas πλαγιολόγον vocat in Man. Comneno lib. 1. non absimili sensu.

NVSQVAM IANITOR. Magnatum limina ianitores diligenter seruabant, ideoque difficiles erant proci ad amicas accessus: hinc querelæ poëtarum, vt Ouidij 3. amorum.

Excubui clausam seruus vt ante domum

A Idem lib.1.

Ianitor in igne dura religate Catena.

Tales enim ianitores sæpe catenati vt apud Colum lib.1.& Suet.in lib. de grammaticis illustribus.Tib.el.2.lib.1.

Nam posita est nostra custodia sæua puellæ
Clauditur & dura ianua firma sera.

Vide eundem el 3.lib.2.

AVT LEX. Iulia in stupratores & adulteros lata. Budæus.

SVBIIT LEGES. Vel intelligit connubiales leges quas primus Cecrops Atheniensis sanxisse dicitur prohibens vagos & illicitos concubitus teste Pausan.lib.1. vel legem Papiam quæ ad nuptias vnumquemque inuitabat imo prope cogebat præmiis pœnisque propositis.qua de re fuse Lips in Tac. Annales.

TITONIA BIGA. Notat Cephali fabulam quem sublimem in cœlum dicitur aurora rapuisse Ouidius lib.7. Met. Hanc deam non biga sed Pegaso equo vehi docet Lycophron initio Cassandræ.

PREHENSA. Parrhasius legit. *Prehensum.*

FABVLA VVLGI. Latiore significatu fabula pro quolibet sermone interdum accipitur,
B vt hic pro rumore populari. Quintil declamator. *Non sum quidem locuples sed quotus quisque sit sine fabula.* Martialis lib.1.epig.58.

Quod sæ tibi mæchum fabula nulla dabat

Idem lib.3.

Occurrit illi sportularum fabula.

PVLSANTVR LVMINA VIRGA. Mos lictorum notissimus .Liu.lib.8.*Forte accidit vt lictores Sulpitij cum is domum e foro se reciperet fores vt mos est virga percuteret.* Hinc Plin. lib.7. scribit Pompeium vetuisse lictorem domus Posidonij quem adibat fores de more pulsare.Martialis de Silio Consule epig.66.lib.8.

FORTE SERENATI. Simili pene stilo epithalamium Palladij exorsus est Claudianus.

Forte Venus blando quæsitum frigore somnum, &c.

Vbi nota dictionem hanc fortè narrationes poëticas plerumque auspicari.

Virgil. Ecl.7.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis

Et Sannazarus priscorum exemplo.Ecl.7.

Forte Lycon vacuo fessus consederat antro

SIGNA PETVNT. More militari quo tesseræ peti solent ab Imperatore ac tribuno vt
C ex Polybio Suetonio & aliis liquet. Mollem amoris militiam satis prædicant Ouidius Tibullus totâque gens poëtarum.

VINCVLA LECTO. Si mihi fas receptam lectionem sollicitare, non dubitem pro lecto substituere *furto.* Primum quia furtum propriè dicitur deprehendi non lectus est verò adulterium genus quoddam furti, sicque appellatur in hac ipsa fabula apud Virg. Georg.

Vulcani martisque dolos & dulcia furta.

Tib.lib.1.eleg.

——— *Celari vult suâ furta Venus*

Catull. in Hendecas.

Furtiuos hominum vident amores.

Deinde quia sic tolli videtur inanis repetitio quæ est in dictionibus illis *Strato* & *lecto.* Sed coniecturæ meræ sunt quas afferimus, non tabulæ obsignatæ.

NVNQVAM FRVSTRATA SAGITTA. Imitatur Virgil. apud quem Turnus libr. 12. sic ait

——— *O nunquam frustrata vocatus*
Hasta meos. Vnde crediderim Statium ita scripsisse.
Manusque leuis nunquam frustrata sagitta.

τὸ Sagitta sit nominandi casus: τὸ manus accusandi.

PATRICIIS MAIORIBVS. Tritum nomen patritiorum quod tamen plerique eruditi non satis explicare mihi videntur. Reuardus lib.3. Coniect. tria genera patritiorum fuisse ait ex sua potius quàm veterum scriptorum mente. Liuius disertè scribit lib.1. patricios Romæ appellatos qui à centum illis patribus Romuleis oriundi erant. Iidem propriè soli erant nobiles, vt censet Lud. Viues in quadam epistola apud Gul. Canterum lib. 2. nou.lect. quod confirmant verba eiusdem Liuij lib. x. *An vnquam fando audistis patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent id est ingenuos.* Quæ sanè natalium splendorem ac nobilitatem designant. Hinc Patricios, Festus ex Cincio vocatos olim ait omnes ingenuos: at ingenui sæpe pro nobilibus accipiuntur. Quod nisi patriciatus esset nobilitas, quam honoris accessionem habuissent vetustissimi illi senatorum quos in numerum patriciorum Clodius asciuit vt refert Tacitus? Certè non aliter patricij plebeiis opponuntur quam nobiles ignobilibus, & eum aliquem lego in patricios cooptatum, interpretor eum nobilitatum fuisse: de veteri patriciatu loquor non de illo qui posteriorum principum æuo inualuit. Quamobrem non placet Sigonij distinctio cum ait, *Nobilitas non ex genere vt patriciatus sed ex imaginibus sumitur.* Quid? nobilitas non ex genere? imo non aliunde si & mores, veteres & hodiernos expendas. Et tamen huic opinioni suffragatur Lips. 1. Elect. valde quidem inconstanter, cum ibidem subiungat. Nobiles, inquit, cēsebantur illi quorū maiores magistratū ceperāt: hoe vero Lipsi quid aliud est quam nobilitatem genere ac stirpe æstimare, quod alibi inficiaris? Vt finiam, dico nobilitatem primo solis patritiis vt & magistratus patuisse, postea plebeis ad honores admissis nobilitatis quoque ac patriciatus iura concessa, qui tamen non tam nobiles quàm nobilitari dici possunt. B

META PALLEBAT IN IPSA. Metæ in Circo duæ, vna ad carceres alia ad calcem. Imò & fuerunt quædam medianæ, vnde mediam cœli metam dixit Virg. in quinto Aeneidos. Interpres Sophoclis in Elect. Isidorus lib.8. Corippus de geminis metis lib.1.

——— Circus plenus seu circulus anus
Amplectens geminas æquo discrimine metas.

Prima ergo meta hic intelligitur vnde initium cursus, in qua pallebat Hippomenes timens videlicet ne ab Atalanta vinceretur. Nam finem cursus intelligere ratio & sententia poëtæ dissuadet. Non enim pallent homines in extrema meta, deinde Hippomenes dicitur cupidus decurrere: nondum ergo cucurrerat.

SVPERESSE PER AESTVS. Aestus, ignis, flamma, vocabula sunt amori consentanea, hic enim affectus non nisi in calido pectore sedem habet. Hinc æstus pro amore, sic & apud Claudi.nupt. Honor. & Mar.

Hauserat insolitos promissæ virginis æstus. C

Polyphemus amans suos quoque æstus apertè testatur 13 Metam.

Cumque suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo nec tu Galatea moueris.

PRAELVSI. Bernartius legendum putat. PRAELVXI, vt dicat Cupido se præluxisse facem Leandro cum illum nocte per vndas Hellesponti tenderet ad Hero amatam. Fabula describitur à Musæo in poëmate singulari.

FATA COLVMBAE. Hanc autem Veneream in delitiis vt credibile est habuerat Violantilla, cuius fata encomio funebri Stellâ fuerat prosequutus exemplo Catulli qui passeri suæ Lesbiæ næniam eccinerat, quæ duo poëmatia Martialis ita comparat epig. ad Maximum.

Stellæ delitium mei Columba
Vicit Maxime Passerem Catulli
Quanto Passere maior est Columba.

QVONDAM TIBI DVLCE. Parrhasius legit. QVONIAM, rectius vt opinor.

LAVRVM SVBTEXERE MYRTO. Laurus victorias Myrtus amores notat. Itaque laurum subtexere Myrto nihil aliud est quàm epinicia simul & amores canere. Vtraque arbor in triumphis vsitata & à scriptoribus sæpe coniungitur Horat. Ode.4.lib.3.

Vt premeres sacra
A *Lauro collat aque myrto.*

Plin. lib. 15. cap. 29. *Marcus Valerius duabus coronis vtebatur laurea & myrtea.*

CADENTEM EXCEPI. De hoc more tollendi liberos Bernartius in Thebaidem adeo fusè differnit, vt vix ad spicilegium quicquam reliquerit.

CRINEM DEDVCERE. Deducere est tenuare, vt deducere fila, est ea manu è colo attracte & minuta reddere, vt solent mulierculæ nentes Catull. in Argon.

Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis.

Sic deductum carmen est tenue apud Virg. Bucol. 6. Itaque deducere crinem est capillum tenuare & formare in speciem decoram. Quam ad rem delicatulæ matronæ vtebantur ministerio quarumdam ancillarum quæ ab officio dicebantur ornatrices, quia dominarum crines ornabant & curiose disponebant.

MIHI DVLCIS IMAGO PROSILIVIT. Bernartij interpretationem nec laudo, nec reiicio: Sed opinor simplicius hæc exponenda, quasi dicat Venus sibi prosiluisse Violantillam, id est, emicuisse & apparuisse quasi suam ipsius imaginem, & velut alteram Venerem Simile quid de Psyche apud Apuleium: Imaginem rei alicuius iure dixeris, quodcumque similitudinem eius refert. Sic homo Dei imago Tertulliano de habitu mulier.

B SVGGESTVMQVE COMAE. Significat crines ad verticem conuolutos in modum turris tutulos vocat Varro lib. 4. de l. l. quò spectat illud Iuuen. Sat. 6.

——— *tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput

Turritam frontem vocat Lucanus, turritum verticem D. Hieron. epist. ad Demetr. Adhibebant sæpius ad illarum turrium compagem adulterinos crines si natiui deessent. Artemid. in Oneirocrit. Clemen. Alex. lib. 2. pædag. Tertull. de cultu fœminarum. Gregor. Nazianz.

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοισι γυναῖκες.

Vide Geuartium.

VIRGO PREMIT. Similis phrasis 3. Achill. de Deidamia,

——— *tantumque admota superbo*
Vincitur Aeacide quantum premit ipsa sorores.

NEREIDAS EXTO. Venus circumfusis Nereidibus stipatur & hac specie efficta stabat in æde Neptuni ad Isthmum vt Parrhasius obseruauit ex Pausan. lib. 2.

VINCIT OPES ANIMO. Tam excelsi est animi Violantilla, vt quamuis abundet diuitiis
C nihilominus eas dignitate & magnitudine sua multò inferiores esse putet, ideoque serici electri & mundi muliebris paruitatem queratur. Sic ergo vincit opes animo. Diuerso sensu rusticus ille Virgilianus in 4 Georg. cui pauca iugera relicti ruris erant.

Regum æquabat opes animis.

CLYMENEAQVE DELESSE GERMINA. Electra quæ Phaetontiades Clymenes filiæ in populos conuersæ fundere dicuntur ad ripam Eridani Clymenea germina dicuntur lachrymæ illæ quas ab iis emitti & in electrum concrescere poetæ fabulati sunt. Ouid. 2. Metam. Sed aliam electri originem & veriorem tradunt historici naturales vt Plin. qui lib. vit. c. 3 scribit electrum nasci in insulis quibusdam Septentrionalis Oceani in arboribus quæ illud veluti resinam quandam fundunt. Hodie etiam colligitur affatim in Prussia.

NIVIBVS CRYSTALLA GELARI. Crystallus est glacies concreta in lapidis duritiem Sen. lib. 3. quæst nat. Huic tamen multum terrenæ inest substantiæ, vnde mineralibus annumeratur. Theuetus in Cosmogr.

INDA MONILIA. Similis pene locus apud Claudian de nupt. Honor.

Certatimque nouis onerant connubia donis,
Cingula Cymothoe rarum Galatea monile,
Et grauibus Spatale baccis diadema ferebat.

Idem in 4. Honor. Consul.

——— *tribuere colorem*

Phœnices, Seres subtemina, pondus hydaspes.

Nec satis ad cultus. Frustra Bernartius in notis hæc verba aliò traducit. Sensus enim est clarus si modo parenthesi includantur. iussi, inquit Venus, aurifera flumina opes suas Violantillæ profundere, neque tamen id sufficit. Iussi præterea Glaucum marisque numina gemmas in profundo serutari ad eiusdem ornatum.

Secura in litore. Geuartius post Scaligerum suspectam habet vocem *Secura*, pro qua rectè substituit *Si cerna* facili interpretatione. Ait enim poëta Violantillam à Baccho prælatum iri Ariadnæ si vtraque in Naxo iuxta Thesei cubile deprehendatur.

Thalami secundi. Fœminæ monogamiam colebant & digamiam auersabantur. Val.Max.lib.2.c.1. Tertull. secundas nuptias non quidem sine multa verborum acerbitate passim insectatur. Tacitus eas apud Germanos lege vetitas scribit. Legendus Seru. in 4. Aeneid. Prima omnium Gorgophone Persei filia dicitur mortuo priore marito alteri nupsisse. Pausan. in Corinthiacis.

Nostra concha. Conchæ Veneri dicatæ Martialis,

Lautus & Conchis Galle Cytheriacis.

Tibull. eleg. 3. lib. 3.

Et faueas concha Cypria vecta tua.

Causam huius rei profert Hadrianus Iunius 5. animaduersorum.

Sidereos artus. Claudianus in Epithal. Pallad & Celer. de eadem Venere. B

Densaque sidereos per gramina fuderat artus.

Mirum autem quam sæpe conueniant duo illi cultissimi poetæ.

Ad fraena citavit olores. Currus Veneris variis animantibus trahitur, interdum cygnis vt hic, interdum passeribus vt apud Sapho, sæpe columbis. Claudi. de Nupt. Pallad. & Celer. Amyclæos olores vocat Statius, vt Martialis Spartanos epig. 28. lib. 8.

Non sordet ab astris. Domus Violantillæ digna est in qua Venus habitet, nec enim sordet collata cum cœlesti deæ domicilio sed pari nitore splendet: ita fere exponit Domitius.

Concolor alto Vena mari. Domitius porphyreticum marmor intelligi putat quia coloris est purpurei vt mare. Iacobus Bonon. marmor Augustæum, quod sit vndatim crispum in vertice vt scribit Plin. lib. 36. Geuartius marmor Caristium quod Glaucum est instar maris. Omnes illæ interpretationes defendi possunt, sed male suam firmat Geuartius Statij versu ex balneo Etrusc. Non enim ibi vndosa Caristos dicitur ob colorem maritimum marmoris Caristij, nec epitheton illud satis aptè ad colorem refertur, sed quod vndis alluatur, vt explicat ipse poeta cum ait in Surrent. Pollij

——— *gaudens fluctus spectare Caristos.*

Infirme etiam idem Geuartius oppugnat Domitij sententiam eo quod Porphyrites sequentibus demum illis verbis notetur, C

——— *rupesque nitent queis purpura, &c.*

Multa enim *κατὰ συνωνυμίαν* dicuntur vt in nostro obseruare licet vel initio Tiburt

Tyrii aeni. Martialis ep. 16 lib. 10.

Quicquid Agenoreo Tyros improba cogit aeno.

Queis purpura saepe Oebalis et Tyrii moderator aeni. Iterum Geuartius hic temere in Domitium inuehitur, cum nihil afferat ipse præter inutilem & explodendam expositionem. Nos, inquit, ita interpretamur. Queis liuet, id est quibus inuidet moderator aeni Tyrij, id est tinctor purpuræ Tyriæ seu sericobapia. Mens enim Statij, tam eximij coloris marmora in ædibus Violantillæ conspici vt tinctor purpuræ Lacedæmoniæ & Tyriæ sæpe istis marmoribus tam insigni colore præstantibus inuideat. Dicuntur enim terræ quæ alteram singulari aliquo naturæ munere superant sibi mutuo inuidere. Hactenus Geuartius. Scimus terras sibi mutuo inuidere apud poetas & eum id probat inaniter aquam consumit. Docendum erat tinctorem dici rectè inuidere marmori, sed eius locutionis nullum testimonium nouus interpres protulit. Et sane hominem inuidere saxo nemo dicat nisi saxeus: adde quod durior esset metonymia si per purpuram intelligamus tinctorem purpurarium. Ego vestigia Domitij premens hæc verba Statij,

Rupesque nitent, de porphyrite interpretor, & purpuram Oebalidem in natiua significatione accipio pro Lacedæmonia purpura, hæc enim laudatissima Spartæ tingebatur teste Plinio lib. 9. c. 36. Eiusdem meminit noster 9. Theb.

———Oebalio saturatam murice pallam.

& Horatius Laconicas purpuras dixit Ode 18 lib. 2. Moderatorem vero aeni Tyrij de purpura Tyria expono vt sit sensus in ædibus Violantillæ, marmoris porphyretici rupes nitere queis liuet, id est liuorem quendam contrahit vtraque purpura Oebalis & Tyria. Tale enim marmor purpureis maculis distinctum & liuidum est. At Geuartius τὸ liuet exponit inuidet, cui vix possum assentiri. Nam liuere purpura proprie dicitur Martiali ep. 28. lib. 8. Purpura seu murex moderator aëni Tyrij dicitur eadem ratione, qua Psittacus ipsa lib. 2. vocatur plagæ regnator Eoæ. In quo enim loco vnumquodque se spectandum præbet præ aliis, ibi regnare quodammodo videtur.

DALMATICO METALLO. Periphrasis auri cuius fodinæ in Dalmatia Neronis principatu repertæ sunt teste Plinio. Geuartius per robora postes & columnas citreas exponit. Ego malim pendentes è laqueati trabes quas inaurari solitas constat ex Virg. 1. Aneid. & Horat. Ode vlt. Epod. Lucanus de regia Cleopatræ lib. 9.

Ipse locus templi quod vix corruptior ætas
Extruat instar erat laqueataque tecta ferebant
Diuitias crassumque trabes absconderat aurum

b

VIVVNT FONTES. Aquæ fontes viuere dicuntur Martial. ad Quintil.

Me locus & nigros non dedignantia fumos
Tecta iuuant & fons viuus & herba rudis.

Ignis quoque viuere dicitur vt apud Plautum in Aulul.

SOLO CVBILI. Solum est desertum & à nullo calcatum: sic rupes sola apud Catull. in Argon. Solum ergò cubile & vacuus lectus, vt infrà, sunt synonyma.

VIRILI IVGO. Huc spectat versus Eurip. quem Clem. Alex. citat 4. Strom.

πόσ' ἐστὶ δούλη ἀεὶ δέποι ἡ σώφρων γυνή.

Ita enim corrigit Hent. Stephanus in schediasmatis Martialis,

Inferior matrona suo sit Prisce marito. hinc viri à coniugibus domini vocantur vt apud Ouid. 2. Fast. & Plut. in Anton. Virgil de Didone in 4. Aene.

Et dominum Aenean in regna recepit.

Rectè ergò virili iugo vxor dicitur submitti. Plautus in Curgul.

Iamne ea fert iugum.

Eam ob rem Pindarus Ode 4. Pyth. matremfamilias vocat buculam, ob iugum scilicet matrimonij quod sustinet. Iuno cognomine Iuga Romæ colebatur, Festus lib 9.

VVLTVSQVE SVPERBOS. Ad laudem superbi epitheton plerumque pertinet, vt hic & supra superbum limen est pulchrum & magnificum. Et sylua 3. Superbæ Anxuris, id est excelsæ. Alibi superbæ fores sunt ornatæ vt notauit Bernartius in omissis.

TRISTIOR AETAS. Simile est incitamentum amoris apud Tib. lib. 1.

Iam subrepet iners ætas nec amare licebit,
Dicere nec cano blanditias capite.

BISSENOS FASCES. Consulatum Ouid. 3. de Ponto eleg. 9.

Missaque si faciant autoram occurrat ad illa,
Bissenos fasces quæ tibi prima dabit,

Martial. lib. 7. Epig.

Postquam bissenis ingentem fascibus annum
Rexerat. — Et eodem lib.
Bissenos cito me rogante fasces,
Det Stellæ bonus annuatque Cæsar.

Silius lib. 8. *Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis,*
Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces.

PRAESIDIS AVSONII. Præses pro Imperatore Martial. lib 5.

Lætus & attonitus viso modo præside mundi. — Idem alibi.

Terrarum dea gentiumque Roma
Dixit præside gloriosa tali.

ANTE DIEM. Antequam per legem annalem liceat consulatum adipisci. singulis enim magistratibus lege Villia præfinita erat quædam ætas citra quam nemo ad eos admittebatur absque priuilegio. Consulatus quidem nulli deferebatur ante annum quadragesimum tertium: quem cum Stella nondum attigerit, Statius tamen dignitatem ei delatum iri principis Domitiani indulgentia vaticinatur. Vide Bernartij commentaria.

CYBELEIA NOVIT LIMINA. Prætores ludos Megalenses, in honorem Cybeles ante huius deæ fanum in palatio edebant, imò omnibus ferè ludis præerant vt notum est. Pec limina igitur Cybeleia prætorum licet interpretari. Sabellicus legit Cybeleia flumina motus authoritate versuum Lucani.

Et qui fata Deum diuinaque carmina seruant
Et lotam paruo reuocant Almone Cybelen.

Ex quibus colligit lauationem Cybeles & curam Sibillinorum oraculorum coniuncta munera fuisse. Nisi tamen, inquit, posterior versus ad Gallos alter ad quindecimuiros potius refertur. Rem acu tetigit.

EVBOICAS CARMEN LEGIT ILLE SIBYLLAE. Huius libri occultabantur nec fas cuiquam eos inspicere nisi quindecimuiris. Lactantius 1. instit. Hos Stilico exussit Honorio imperante vt notauit Baronius. Significat ergo Stellam esse quindecimuirum, vt pote cui liceat fatidicos Sibyllæ Cumææ libros euoluere. Huius enim versus potissimum celebrantur. Claudi. in Eutropium,

Pandite pontifices Cumana carmina vatis.

PARENS LAETVS. Ita dictus Romanus Imperator Martialis lib 9.

Non tulit Ausonius talia monstra pater.

Statius infra in Soteriis.

——— *Rogat hoc pater inclytus vrbis.*

Et lib. 4. Sylu.

Salue magne parens mundi.

Horat. Ode 4. lib. 3.

Si quæret pater vrbium
Subscribi Statuis.

IN CONNVBIA TERRAE. Respexit ad illud 1. Georg.

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther,
Coniugis in gremium lætæ descendit.

Catullus in cultissimo Veneris peruigilio.

In sinum maritus imber fluxit almæ coniugis.

LYDIVS TYBRIS. Lydi cum in Hetruriam venissent ad Tyberim consederunt. Strabo lib 5. Dionysius lib. 1. Herodo lib 1. Thucid. lib. 6. hinc Lydius Tibris.

ASTERIS ET VATIS. Hunc titulum Stella præfixerat cuidam poematio quo suos in Violantillam amores vt credere par est expressetat, eamque Asteridem nuncuparat ficto nomine quasi ἀστέρος id est Stellæ amicam.

ANTE DAPES. Ante prandium & cœnam. Mira amplificatione tempus in speciem diuisit, ait Parrhasius. Mens Statij Asterida, id est, Violantillam quam poemate cognomine Stella celebrabat non minus inclamatam fuisse quàm Hylam puerũ Herculis amasium. Notari videntur acclamationes, quibus nouorum coniugum nomina aliquoties iterabantur per speciem applausus. Claudi. in nupt. Pall. & Celer.

Cum subitò varius vicina clamor ab vrbe
Et fausti iuuenum plausus mixtæque choreis
Auditæ per rura lyræ Celerina (ita lege, non *celebrata*) *per omnes*
Italiæ canitur montes, omnisque maritum
Palladium resonabat ager.

SEPTAMGEMINAE. Vt tergeminus à ternario numero, sic septemgeminus à septenario Petron. in Carm. de Roma septemgeminum Nilum vocat ob septem eius ostia.

QVAM LONGA MORANTVR SIDERA. Pulchrè in hunc locum conuenit illud Theocr.
A Idyll.12.

—— οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι

Et illud Apul. in flor. *In desiderio Celeritas mora est.* Latinus Pacatus in panegyr. Theod. *Vt est omne desiderium post spem impatientius parum credens patere elementa, festinauit occursare venturo* Claudi. nupt. Honor. & Mar.

Incusat spes ægra moras longique videntur
Stare dies, segnemque rotam non voluere Phœbe.

ORTYGIA. Sic dicta Delos ab Ortyge in quam auem Latona mutata fugitur cum Iunonis zelotypæ iras effugeret, vt narrat Scholiastes Callim. in hymn. Apollinis.

LATIARE CAPVT. Latiaris canina litera scribi debet, non Latialis vt putat Lambinus ad Milon. Symmachus latiare consilium & latiarem facundiam dixit, Prudentius latiare munus. hinc etiam Iupiter latiaris apud Liuium & alios. Franciscus Modius in nouantiquis.

ET PARNASVS HONOS. Geuartius emendat, *Et Parnase sonas*, quasi nesciat πρωτότυπον ἀντὶ παραγωγοῦ interdum sumi, vt apud Horatium legimus Stertinium acumen pro Stertiniano & Sulpitia horrea pro Sulpitianis apud eundem, & in 4 Georg. Arcadij iuuenta
B magistri dicuntur, id est Arcadici. Græcis ea licentia frequens, vt Aeschylo, qui initio vinc. Prom. σκύθην οἶμον, viam Scytham pro via Scythica, & Alcæo qui πέρσαι στρατὸν, ἀντὶ περσικοῦ στρατοῦ dixit. Theocritus Idyll.1. νάσον τὰν σικελὰν, ἀντὶ σικελικῆς. Parnasus ergo honos idem est ac Parnasius.

DOMVS VTRAQVE POMPA. Domum Stellæ in secũda vrbis regione collocat Onuphrius. Vide Martialem epig.3.lib.12.

FRONDE VIRENT POSTES. Fores coniugum die nuptiarum floribus & coronis ornatæ Catullus in nupt. Pelei,

Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.

Sen. in Theb.

—— non te duxit in thalamos parens
Comitata primos, nec sua festas manu
Ornauit ædes.

Apul. 4. Mil. *Domus tota lauru obsita tædis lucida strepebat hymenæum.* D. Ambrosius de Virgin. *In ipso*, inquit, *vestibulo nuptiarum debuit postes cernere coronatos & choros strepentis intus haurire delitias.* Adde quod serta & coronæ amicatum vel amasiorum ianuis appendi consueuerant Tib el.2. lib.1. Catul. in Aty.

C FERVENT COMPITA FLAMMIS. Claudi. in nupt. honor.

—— alij funalibus ordine ductis,
Plurima venturæ suspendunt lumina nocti.

Nam in publica priuataque lætitia lucernas interdiu accendi solitas iampridem viri docti obseruarunt. Et de flammis quidem diurnis intelligendus hic locus. Sequitur enim.

Hic fuit ille dies, noctem canat ipse maritus.

SOCIALIA PRAESTO OMINA. Nuptialium ominum frequens mentio hæc enim tunc potissimum obseruabantur Catul. in nupt. Mallij,

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Cic. pro Cluent. *Nubit genero socrus, auspicibus nullis, nullis auctoribus, funestis ominibus.* Tacit. de nuptiis furtiuis Messal. & Silij *Prædicta*, inquit, *die adhibitis qui obsignarent, velut suscipiendorum liberorum causa conuenisse, atque illam audisse verba auspicum, sacrificasse, noctem denique actam licentia coniugali.* Claudianus 2. de raptu.

—— tangensque cubile
Omina perpetuo genitalia fœdere sanxit.

Idem in Rufinum.

Hic domus hoc proprium tædis genialibus omen.

PLEBEIO TERITVR PRAETEXTA TVMVLTV. Congruit illud Claudi. in nupt. Honor.

Confundunt turbæ proceres.

FELICES VTROSQVE VOCANT. Faustæ eiusmodi acclamationes in nuptiis vsitatæ vt exemplum est apud Theocr. in epith. Hel. Gunterus lib. 4. A

—— totaque caterua

Acclamante viro faustum feliciter omen.

Hæc sunt læta ciuium omina de quibus Seneca tragicus in Octauia actu 4. Sed de his proximè dictum.

INTACTVM DICERE CARMEN, id est, carmen non ante decantatum, vt infrà in Herc. Surrent. quo sensu intactam Agauen dixit Iuuen. Sat. 7. vt Geuartius notauit, sed idem frustra correxit versum illum Statij,

Qua tibi tunc alacris cœlestum munere clara

Stella dies.

Putide, inquit, bina epitheta vni nomini hic præter morem poetæ adiuncta, vnde concludit legendum *Clare Stella*. Putat τὸ *Alacris* & τὸ *Clara* ad idem referri, quorum prius cum voce Tibi, posterius cum *Munere* iungendum. Nequaquam probanda est correctorum licentia qui sanos scriptorum locos contaminant.

IVNO VERENDA VINCVLA. Hæc est Iuno Cinxia de qua Festus lib. 3 & Virg. in 4. Aen.

Iunoni ante omnes cui vincla iugalia curæ.

De eadem supra non nihil dictum. B

INSIGNI GEMINAT CONCORDIA TAEDA. Parrhasius mauult *Gemina*. & concordiam deam hic interpretatur, quem si sequimur, legendum erit *Insignis* in nominandi casu non *Insigni* vt vulgo.

DATE CARMINA FESTIS. Poetas epithalamia cecinisse in illustrium virorum nuptiis docet Trebellius quem ante citauimus. apud Theocritum duodecim primariæ puellæ ex vrbe Sparta Helenæ canunt epithalamium: & Musæ apud Euripidem Peleo simili carmine gratulantur.

CHORO PLAVDENTE PHILETAS. Etiam hic Parrhasius mutat & legit *Coo*, quia Philetas Cous, sed modus syllabæ repugnat quæ produci debet quanquam id plerumque poëtæ non morantur. De hoc elegiographo Aelianus var hist. lib. 9.

NEC TRISTIS IN IPSIS NASO TOMIS. Corrumpit sententiam particula negatiua, pro qua non verebor substituere disiunctiuam *Vel*. quod miror interpretes non animaduertisse. Poëtæ, inquit noster, illi veteres hunc nuptialem diem laudassent ambitiose, vel Naso ipse quanquam tristis in id munus incubuisset. Particula *Vel*, idem significat quod *Etiam* vt in illo versu.

Carmina vel cœlo possunt deducere lunam.

DIVESQVE FOCO LVCENTE TIBVLLVS. Notat ipsius Tibulli votum initio eleg. 1. C

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,

Dum meus assiduo luceat igne focus.

Et focũ perennẽ in parte felicitatis collocat Martialis epi. de vita beata & ad Quintilianũ.

PARTHENOPE. Sic dicta olim vrbs Campaniæ primaria à Sirene Parthenope ibi sepulta. Eadem postea Neapolis appellata, quasi noua ciuitas postquam à Chalcidensibus & Atheniensibus cœpit habitari. Strabo lib. 5. At in constitutionibus Neapolitanis scriptum est hanc vrbem ab Aenea conditam & à patriis opibus ibique reconditis Parthenopen vocatam, eamque appellationem durasse ad tempora vsque Longobardorum, à quibus euersa, deinde à Græcis instaurata & noua ciuitas dicta est. Ioannes Scopas in Collectaneis.

SOCIAM VNDAM. Hoc vndæ epitheton renouat memoriam Tantalei fontis, cuius aqua communiter epota sapientes Indorum magnum amicitiæ fœdus contrahere inter se putabantur, vt narrat Philostratus in vita Apollonij.

CARMINA LVDANT. Propriè ludere dicuntur poëtæ suis carminibus. Hæc enim sunt ingenij quidam lusus. Exempla conquirere in re notissima religio est. Hieronymus Vidas initio ludi Scachiæ. *Ludimus effigiem belli.*

D. Hieronymus ad Heliod. *Sed in eo opere pro ætate tũc lusimus, & calentibus adhuc rhetorum stu-*

diu quadam Scholastico flore depinximus. Plin. in epist. verbum ludendi simili ootione sæpius vsurpat.

A MVLTVM DE PATRE DECORIS. Inter viri probi felicitates hanc recenset Hesiodus.

τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

Catullus in nupt. Mallij. *Sit suo similis patri Mallio & facile insciis Noscitetur ab omnibus Et pudicitiam suæ Matris indicet ore.*

NE STANTIA LAEDAS PECTORA. Stantia sunt vigentia, vt stare papillas dixit Lucilius. Et noster infra arborem Melioris stare dicit. Virgil. 2. Aene. *Troiaque nunc stares.*

DECIMVM MENSEM. Legitimum & ordinarium tempus partus est mensis à conceptu decimus. Id sacri & profani libri testantur. Sed menses illi decem sunt lunares, & constant singuli diebus viginti septem cum triente seu octo horis, itaque nouem solaribus mensibus æquiparantur, vt fuse disseruit Laurentius Ramirez in Pentecontarcho. Qui author milites suos in aciem educit satis instructos sed vt plurimum armis alienis.

IN TIBVRTINVM VOPISCI.

SYNOPSIS.

B LAudatur villa Tiburtina Manlij ab aëris temperie, amœnitate situs, commoditate fluminis quod mediam interlabitur, ædificij magnificentia. Quæ omnia amplificantur more oratorio per comparationes similium locorum, & amica gratulatione terminantur.

CERNERE. Forte hic est adire, vt Morellus notauit. Tibur enim in conspectu Romæ positum constat. Vtrumque verbum coniunxit Prudentius in Hym. Epiph.

Testator & sator iubet
Adire regnum & cernere.

INSERTO GEMINOS ANIENE PENATES. Nimisquam hic luxuriat verborum copia vt ostendat flumen Tiburtinum interlabi. Eodem spectant sequentia, *Litus vtrumque domi.*

PISAEVM ANNVM. Æstatis periphrasis Agon enim Olympicus Pisæ statim à Solstitio celebrabatur, vt constat ex Pindaro in Olymp & Seruio in 3 Geor. Vide Scalig. de emend. temp. Et inde Græci annum suum inchoabant quem idcirco Pisæum vocat Statius, id est calidum & solstitialem. Aestuare annum figurata locutio de qua Turnebus in aduersariis.

TECTVM SCRIPSISSE. Norat inscriptiones domorum de quibus Laërtius in Diog. Epicurus hortis suis inscripsisse fertur *Hospes hic bene manebis.* Seneca in epistolis.

C LITVS VTRVMQVE DOMI. Vulgatam hanc lectionem tuetur aduersus Lipsium & Bernartiũ Geuartius Fecerat ante eum Marsilius obseruationibus suis in Suetonij Flauios. Verborum sensus clarus est. Villam enim commendat Statius quod vtramque Aniensis ripam amplectatur. Litus pro qualibet extremitate, vt docet Seru. in 1. Æneid.

NEC TE MITISSIMVS AMNIS DIVIDIT. Male ita legit Geuartius. Nec te, inquit, O Vopisce dum in vna ripa versaris impedit amnis intermedius, quominus in alteram etiam ripam transire possis. Quantò rectius lumen ille literarum Lipsius legendum censet, *Nec se mitissimus amnis diuidit.* Manifesta sententia. Anio non in brachia aut cornua diuisus sed toto alueo fluit inter bina prætoria Vopisci alternas seruantia ripas. Neque vero hoc est ἀνακόλουθον, vt ille interpres censet, sed contrarium potius est ἄλογον.

PRAETORIA. Villæ magnificæ ita dictæ Martialis.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

Huiusmodi autem ædificia vt plurimùm in litore aut ripa, vnde Iurisconf. l. 13. ff. de iniur. ante prætorium alienum piscari dixit. Vide Plin. epist. 27. lib. 2. & epist. 7. lib. 9.

NON EXTERNA SIBI. Proba lectio & explicatu facilis in hunc modũ. Non sunt bina illa prætoria villæ Manlianæ externa sibi inuicem licet amne diuidantur, nec queruntur obstare fluuium Anienem cum fornice vtramque ripam amplectente iungantur. Bernartius ex vetusto codice legit.

Non extrema sibi fluuiorum obstare queruntur.

Quod non probat Geuartius.

IVNCTOS DELPHINAS EPHOEBO. Intelligit pontem à Caligula inter Baias & Puteolos extructum. de quo Sueton. cap. 19. Calig. & hic notatur historia pueri illius qui Augusti temporibus ex sinu Baiano Puteolos Delphino insidens enatabat. Plin. lib. 9. c. 8. hist. nat. Lege & Plin. iunioris epist. 33. lib. 9. A

FLVCTVS FLVVII. τὸ *fluuij* adiectiuè sumit Geuartius. Melius fortasse legerem Reflui, quod epitheton Euripo conuenit.

EMISSAS PER CVNCTA CVBILIA LYMPHAS. Delitiæ veterum cubicula æstiua circumlabentibus aquis aut interfluentibus refrigerata Seneca de tranquill. cap. 1. *Quid perlucentes ad imum aquas & circumfluentes ipsa conuiuia?* Vide eundem ep. 100.

ANHELANTES VICINO FLVMINE NYMPHAS. Domitius cui fauet Bernartius Albulas aquas intelligi putat quæ iuxta Anienem fluunt in planitie & gelidæ ac sulphureæ sunt Martial. epig. 13. lib. 1. Plin cap. 2. lib. 31. vt sit sensus amnem Anienem proximis Vopisci balneis calefactum deridere nymphas Albularum quæ frigore rigent. Non male tamen exposueris aquas ipsius Anienis quæ anhelant ob perpetuum & præcipitem decursum. Vel rectius nymphas balnearum ob vapores calidos anhelantes, quasi dicat Statius amnem meritò deridere eiusmodi nymphas quæ calent spiritu pene deficiente cum nihilominus flumen habeant vicinum: hæc interpretatio reddit sententiæ acumen quod est in illis verbis Ridet anhelantes vicino flumine. Certe anhelare calenti magis conuenit quàm rigenti, vt norat Behotius in Apophoretis.

SPLENDOR AB ALTO. Fulgor ex auratis laquearibus in terram defluens repercutiebatur cum incremento lucis ob nitorem pauimenti marmorei aut gemmati.

CALCABAM OPES. Martialis lib. 11.

Calcatusque tuo sub pede lucet onyx.

Seneca censor perpetuus luxuriæ, *Eo*, inquit, *Delitiarum venimus vt nisi gemmas calcare nolimus.* Vide Sue. in Iulio de cubiculo eius viatorio. Apul. lib. 5. de regia Psyches, & Plin. li. 9. c. 35.

SVBERANTQVE NOVIS ASAROTA FIGVRIS. Iacobus Bononiensis legit *superant*, id est, eminent atque extant. Sunt autem Asarota genus pauimenti ex tessellis purgamenti effigiem referentibus opere musiuo à priuatiua particula ἀ & σαροῦσθαι, quod minime verrantur. Plin lib. 36. ca. 25. hodie variæ rerum formæ in eiusmodi pauimentis repræsentantur, qualia & in regia Psyches describit Apul. loco citato. Bernartius non satis expressit verba aut sententiam Plinij de Asaroto.

TRICHORIS. Vir eruditus hanc vocem exponit de tribus contignationibus in ædificio assurgentibus, parum ad mentem poëtæ. Quæ enim magnificentia est in recto tria habere tabulata? Melius Casaubonus in Pescenninum Spartiani trichora domos tripartitas interpretatur quibus magnatum ædes solent distingui quarum vna ingredienti aduersa occurrit, duæ ad latera sitæ Galli vocant, *corps d'hostel ou pauillons.* C

QVO NON SVB DOMINO. Geuartius mutat casum telariui & legit, *Qua non &c.* quasi mens Statij sit non passuram arborem à domino securis ictus, sed eo ignaro forsan cum sua nympha morituram. Video constare sententiam retenta vulgati lectione, propterea nihil puto mutandum. Quæ de hamadryadum interitu ex opinione veterum narrat Geuartius opportuna sunt, sed antea à Bernartio notata in 6. Theb.

ALBENTESQVE LACVS Albulas à colore sic dictas intelligi censet Parrhasius quas plurali numero scriptores vocare solent ob multiplicem earum scaturiginem, interdum & Albula ἑνικῶς dicitur vt infra. De his aquis Pausan. in Messeniacis. *Ad vrbem*, inquit, *trans Anienem latices occurrunt albi, quos vbi primum quis ingreditur horrescit, deinde plusculum ibi moratus ita æstuat ac si quid igneæ calefactoriæque potionis hauserit.* De Albula Strabo lib. 5. Plinius, Vitruuius. & supra nonnihil dictum.

MARTIA. Plin lib. 31. c. 3 *Clarissima aquarum omnium in toto orbe frigoris salubritatisque palma præconio vrbis Martia est. Vocabatur quondam Aufeia, fons Piconia, oritur in vltimis montibus Pelignorum, transit Marsos & fucinum lacum Romam non dubie petens, mox specu mersa in Tiburtino se aperit nouem millibus passuum fornicibus structis perducta. Primus eam ducere in vrbem est auspicatus*

Ancus Martius vnus ex regibus, postea Q. Martius rex in prætura rursúsque restituit M. Agrippa. Remanent vsque ad hodierna tempora vestigia aquæductus inæstimabilis sumptus & miræ
A structuræ à lacu Fucino Romam vsque, ait Marcellus dilucidat in Suet. Iulium.

OBLIQVVM AMNEM. Parrhasius obliquum exponit transuersum satis ad mentem poëtæ, qui aquas enumerat in villam Aniene diuisam influentes, ita vt Martia dicatur transire seu trauecere flumen per lineam transuersam. Sed amnes alia notione dicuntur obliqui nempe à sinuoso & minimè recto decursu vnde & cornuti finguntur quod eorum ripæ flexuosæ sint vt cornu, ait Probus in Virgil. Georg. Aelianus lib. 1. Var. Hist.

AVDACI TRANSCVRRIS FLVMINA PLVMBO. Id est, trans Anienem fluis canali plumbeo perducta. Formas quorundam aquæductuum per flumina deductas constat ex Frontino & obseruauit Manutius. Priuati etiam per fistulas ac tubulos ex fontibus aut fluminibus aquam in sua prætoria balneáque deriuabant, vt exemplum hic & apud Sidonium in Carm. 22.

Actus at in thermas longe venit altior amnis
Et cadit in montem patulisque canalibus actus
Circumfert clausum caua per diuortia flumen.

Claudianus de Aponi balneis.

B *Deuehit exceptum natiuo spuma meatu*
In patulas plumbi labitur inde vias.

Hinc audax plumbum hic vocatur ob fistulas nimirum eiusmodi plumbeas. Interdum è ligno fiebant. Plin lib. 16. c. 42.

AEGERIAE NEMORALEM ADIVNGERE PHAEBEN. Omnis lucus in tutela Dianæ ait Seruius & Lutatius in 4. Theb. quæ idcirco nemoralis seu nemorensis dicitur. Gratius in Cyneger.

Spicatásque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus

Amplificatur hic Tiburtini nobilitas ex eo quod non dubitatura sit Diana relicto Aegeriæ luco illuc commigrare. De hoc luco Iuuen. Sat. 3. & Ouid. 15. Metam. vbi fingit hāc nympham à Diana in fontem fuisse mutatam: Eam ob rem vtriusque Statius videtur iunctim meminisse.

QVOD NI TEMPLA DARENT ALIAS TIRINTHIA SORTES. Cum Tibur dicatur Herculeum Martiali epig. 13. lib. 1. per templa Tirinthia Tibur Herculi Tirinthio sacrum, per sortes χρησμοὺς & vaticinia Albuneæ cum Sabellico exponere non dubitem. hæc enim Tibure colebatur ibique sortes dabat. Tib. eleg. 6. lib. 1.

Quaque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes, &c.

C Meminit Virg. lib. 7. Lact. 1. Instit. Tibur in Herculis tutela. Suet. Calig. c 8. Vopisc. in Aurel. Gell. lib. 15. Sententia itaque erit: Nisi Tibure aliæ sortes ederētur ab Albunea, in hanc villam Tiburtinam protinus migrarent fortunæ sortes quibus Præneste nobilitatur. Geuartius quasdam sortes Herculi institutas comminiscitur Bernartium sequutus. Neuter hanc interpretationem testimonijs aut rationibus vllis firmat, & quæ de sortibus Aponi & Clitumni memorantur nihil ad Herculem pertinent.

PRAENESTINAS SORORES. Domitius fortunas hic sorores ait vocari quia vna apud Præneste altera apud Antium colebatur. Sed cur has sorores potius quàm alias fortunas poëta appellaret? Opinor sorores hic vocari sortes ipsas quas Prænestina fortuna reddit vt apud Suet. in Domitiano. fusè de his Cicero lib 2. de diuinatione. Sortes autem illæ Prænestinæ & sortes Tiburtinæ de quibus superior versus intelligendus sorores dicuntur eadem ratione qua comæ capiti inhærentes vocantur sorores à coma cœlesti Berenices apud Catullum

Abiunctæ paulo ante coma mea fata sorores
Lugebant.

Hæc certè expositio non displicebit cogitanti multo rectius sortes Tiburtinas & Prænestinas vocari sorores quam fortunam Prænestinam & Sibyllam Albuneam Tiburtinam. Martialis veridicas sorores dixit. 1. epig. lib. 5. Possunt etiam apud Statium expo-

ni sorores sine vlla comparatione sortes Prænestinæ, qua ratione Parcæ & furiæ interdum vocantur sorores apud Claud. Mart. & alios.

IVGERA TELEGONI. Tusculum à Telegono conditum. A

Propertius lib. 2. Eleg. 32.

Quid petit Aeæi mœnia Telegoni.

LVCRINATQVE DOMVS. Lacinium ad Crotonem situm intelligit Domitius. de eo Strabo lib. 5.

LITVS ANTIPHATAE. Formiæ Lestrigonum antiqua sedes. Plin. lib. 3. Festus lib 6. hoc litus valde laudat Martialis ep. 30. lib. x.

SVPERBAS ANXVRIS De Anxure Liuius lib. 4. & Festus lib 1. Axur autem scribendum esse non Anxur docet ex veteri numismate Scaliger in Festum, quia Iupiter ἄξυρος ibi colebatur, Seruio teste: Anxuris recessus placidos claudat Martialis lib. x. ep. 58. Eidem superbus Anxur dicitur lib. 6. epig. 42. vt hic apud nostrum

REVOCABVNT LITORA BRVMA, Antium exponit Domitius, quò Romani hyeme secedebant. Lege Strabonem lib. 5.

SORDET VICINA VOLVPTAS. Huc spectant verba Luciani in Cyn. ἀπὸ περάτων γῆς ἐμπορευόμενοι τὰς ἡδονὰς καὶ ξενικὰ τῶν ἐπιχωρίων ἀεὶ προτιμῶντες, & illa Petron. in Sat.

Quicquid quæritur optimum videtur.

Sordent plerumque domestica, ait Plin. lib. 35. c. x. Carpit hãc stultitiã Pindarus Ode 3. Pyth. 3

ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον
ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια παπταίνει τὰ πόρσω. Lege Plin. epist. 20. lib. 8.

DIGNVM PETIISSE. Tanti est amœnitas villæ Tiburtinæ vt eius aspectum aut secessum merito dignentur homines longa & difficili nauigatione quærere ac mercari. Dignũ hic in nominandi casu eodẽ pene sensu vsurpatur quo Tutum in illo versu syluæ 2.

Hanc propter tutum Pisaa lege tenementem
Currere & Oenomai fremitus audire sequentis.

NIGRA RVBIGINE. Nigredo pro qualibet fœditate vt apud Iuuen. Sat. 3.

——*Qui nigrum in Candida vertunt.*

Sed hic pro sugillatione Satyrica: Horatius de censore versuum in arte.

Culpabit duros incomptis allinet atrum
Transuerso calamo signum.

IN SOTERIA RVTILII GALLICI. C

Synopsis.

CONualuerat ex graui morbo Rutilius, cúmque amici certatim gratularentur, Statius hoc illi carmen Soteriorum nomine dicauit eúmq; commendat a votis ciuium pro ipsius salute susceptis, item à virtute multiplici & rebus domi militiæq; gestis tandémq; testatur se pro recuperata eius valetudine sacrificia diis soluturum. Obseruabis Soteria fuisse munera quæ amicis ob valetudinem restitutam mittebantur, vt docet Martialis lib. 12. epig. 56.

ESTIS IO SVPERI. Stulta gentilitas ex humanis successibus opinionem diuinitatis concipiebat aut dimittebat. Nam cum animaduertebant piis & merentibus bene esse, deos apertè fatebantur vbi verò fortunæ reflantis insultibus opprimi virtutẽ sentiebant protinus assensio illa omnis elabebatur. Vide Claud. initio 1. in Rufinum Martialis lib. 2.

Rerum certa salus terrarum gloria Cæsar
Sospite quo magnos credimus esse deos.

STAT PROXIMA CERVIX. De præfectura prætorij hæc verba accipienda forte videri[ẽ]-

tur quæ secundum in imperio locum obtinuit l. vnica. C. de sent. præf. præt. & l. 2. § hunc
A magistratum. ff. de orig. iu. De ea Zosimus lib. 2. ἡ τῶν ὑπάρχων, inquit, ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα νομιζομένη. Sed præfecturam vrbis haud dubiè Statius hic intelligit quam Rutilius sub Domitiano obtinuit teste Iuuenale. Sat. 15.

——— Custos Gallicus vrbis.

Nam & hanc potestatem maximam fuisse docet Nou. 62. vnde discimus præfectum vrbi etiam ipsum prætorio præfectum aliósque illustres viros saltem in curia præcessisse & l. 3. C. de sent. præf. vr. præfectura vrbis cunctis quæ intra vrbem sunt antecellit dignitatibus. Mirum autem est cum tanta fuerit dignitas & gratia Rutilij apud Domit. quantam prædicat Statius, nullam tamen huius viri mentionem à Suetonio fieri, nec à Dione in Domitiano.

SIGNA COLVNT VRBANA COHORTES. Cohortes vrbanæ à prætorianis distinguuntur. Illas præfectus præt. has præfectus vrbi regit Suet. c. vlt. Aug. *Prætorianis militibus singula millia nummûm* (legauit) *cohortibus vrbanis quingenos.* Vlp. de offic. præ. vrb. *Sanè* inquit, *debet etiã dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem & ad referendum sibi quid vbique agetetur.* Quò auolauit mens Bernartij, cum scribit hunc præfectum vrbi nouem prætorias cohortes habuisse?

B LONGINQVIS TVRA QVERELIS. Iurisdictio præfecti vrbi ad 100. vsque lapidem extendebatur vt Iurisconsulti scriunt.

INTREPIDAE ROMAE. Verum huius vrbis epitheton & eius nomine dignum. Claudi. Panegyr. 3. in Stilic. de Roma.

Nunquam succubuit damnis & territa nullo
Vulnere post Cannas maior Trebiámque reuixit.

NEC TANTVM INDVERINT FATIS. Morellus putat legendum *fastis*: quasi Statius deprecetur ne sæculum nonum quo Domit. ludos sæculares instituit morte Rutilij Gallici infame sit ac funestum, néue hoc damnum quasi scelus fastis possit imputari. Miseros vero fastos si sartam tectam illustrium hominum vitam præstare debent, si eorum mortis velut atrocissimi criminis inuidiam coguntur sustinere. Ecquid mali promeruere libelli ad posteritatis memoriam duntaxat comparati? Quis sæcula indere aut induere crimen fastis dici posse iudicabit? Multò concinnius est, sæculum has clades ascribere fatorum potestati quæ in rebus humanis vtrámque paginam facit. Geuartius rectè tuetur priscam lectionem id sufficere ratus; at oportebat exactum censorem correctiones criticorum quas damnat ratione aliqua conuellere. Quod si quid mutandum est, malim legere FESTIS quam FASTIS.

C ARA TARENTI. Ludi sæculares qui in Tarento seu potius Terento campi Martij parte celebrabantur. Ij septimum editi fuerunt à Domitiano 40. circiter annis post ludos sæculares à Claudio editos vt notat Beroaldus ad illud Martialis.

Bis mea Romano spectata est vita Tarento.

De his ludis fuse Zosimus lib. 2. & Politianus c. 58 Miscell.

NEC ENIM SINE CARMINE CANTVS. Duplex hic correctio tentatur, in duabus postremis vocibus. Quidam enim legit numine. Rursum alius τὸ *Cantus* vertit in *Nactus*.

DIRCES ALVMNVM BACCHVM, qui dat in carmina vires imò ea docet. Horatius lib. 2. Carm.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem.

NEC CONSCIA DETVR. Expunge vltimum elementum ex particula negatiua ad hunc sensum, quamuis Musa abunde vati auxilietur, quamuis sitientia eius ora sacris laticibus irriget, ne tamen oro te Rutili, de eius fonte Pirene bibam sed ex tuo potius poëtico fonte liceat mihi aliquid haurire in meum vsum. Vulnus huius loci vidit Bernartius in notis nec sanauit. Conferat lector illius emendationem cum nostra. Domitij interpretatio est ἡμιτελής: Geuartius silet. Si quis tamen claudus pilam retinet, non pertinaciter aduersabor, cum sciam *Nec pro Non* sæpe vsurpari.

EXVVIAS DIANA THOLO] Bonum, ceruorum aptorúmque capita & alia Dianæ dicata. Virgil. Ecl. 7 & 9. Aeneid. in eius deæ honorem partem prædæ ex arbore suspendebant. Schol. Arist. in Plutum. Statius. 9. Theb. A

Quercus erat Triuia quam desacrauerat ipsa
Pieclam, turba nemorum numénque colendum
Fecerat hic arcus & fessa reponere tela
Armaque curua suum & vacuorum terga leonum
Figere & ingentes aquantia cornua syluas.

Bernartius in omissis.

PERSOLVIT PRAEMIA MORVM. Hic est fructus virtutis amplissimus, amari à suis, excitare sollicitudinem & desiderium sui in animis ciuium. Suet. in Calig. de Germanico. *Quarum virtutum fructum vberrimum tulit sic probatus & dilectus a suis, &c.*

IGNARAE PLEBIS LVGERE POTENTES. Id facit inuidia plebi insita in optimates, de qua Sallust. de Rep. ordin.

CVRIA FELIX. De felicitate Romanorum sub Numa vide Plut. in eius vita.

INVITVM AVDIRE CATENAS. Huc spectat illud aureum Neronis dictum, cum à Burro admoneretur subscribere in latronum supplicium. *Quam vellem nescire literas.* Sen. 1. de clem. Suetonius de Vespasiano. c. 15. *Non temerè quis punitus insons reperitur nisi absente eo & ignaro, aut certè inuito atque decepto*, ὦ πᾶγμα βασιλικόν. B

MANVS HVMILES. Manuum extensio petitionis & venerationis index: vnde apud poëtas supplices tendunt sæpius eum voce palmas, & apud Heliodorum lib. 9. sub finem Orondates Persa regem Aethiopum adorans, τὴν χεῖρα προτείνας καὶ τὴν δεξιὰν ἐπὶ θάτερον παραλλάξας inducitur. Et apud Xiphil. in Ner. Tiridates, ἐς γῆν τὸ γόνυ κατθεὶς καὶ τὰς χεῖρας ἐπαλλάξας ἑαυτοῦ αὐτὸν (Νέρωνα) ὀνομάσας, καὶ προσκυνήσας. Vide Suet. in Nerone. Quibus ex locis colligere licet manuum permutationem & translationem in summa veneratione solennem fuisse. Locus certè Xiphilini notandus & factum Tiridatis cui pene similis est mos hodiernus eorum qui conceptis verbis se deuouent superioribus dynastis sacramento clientari se quodammodo illis mancipantes, quod fidem & homagium vulgò vocant. Flexo enim genu & iunctis extensisque manibus palam dominum salutant eum à quo se beneficium habere profitentur. Quod factitatum fuisse legimus ab Eduuardo rege Angliæ cum talem venerationem ab eo pro ducatu Aquitaniæ Philippus Valesius suo iure exegisset. Potest & hic locus Statij referri ad libellorum porrectionem de qua idem Suet. Aug. c. 53.

ALPINI IVXTA CVLMINA DORSI. Apollo iuxta Vercellas ad radices Alpium colebatur. Hinc Martialis Apollineas Vercellas vocat lib. x. Cum autem Rutilij qui ex Atiliis manarunt, vt scribit Pedianus Gallici quoque dicti sint, introducit Papinius numen Apollinis ex Vercellis oppido Alpino prospexisse laborantem Rutilium & accurrisse cum Aesculapio ad opem ferendam. Domitius. C

SECVRVS ALVMNI. Securus est negligens & securitas sollicitæ diligentiæ opponitur, statum mentis vacuæ & solutæ curis significans: qua ratione dixit forte Tacitus 1. Hist diis non fuisse curæ Romanorum securitatem, sed vltionem.

HVC ALTIS GAVDENS. Malè sanus hic locus in quo tamen princeps medicinæ loquitur. Geuartius parum feliciter eum restituere tentat cum ait. Illa verba, *Datur aggredienda facultas*, parenthesi includenda sunt & sensus est, offertur res aggredienda & conatibus tuis cum sit Rutilius vir summæ authoritatis. hæc Geuartius. Sed puritas sermonis Statiani non admittit hanc phrasim. *Datur facultas aggredienda*, id est rei aggrediendæ facultas, quandoquidem non aggredimur propriè facultatem, sed rem ipsam potiùs ope facultatis. Igitur existimo si quis parenthesi locus esse debet, excepta prima dictione totum illum versum ea includendum. Deinde pro *Aggredienda* legendum censeo *Aggrediendo*. Sententia erit huc ô Aesculapi proles Epidauria huc ades inquam (datur facultas altis gaudens aggrediendo) id est, tentando & audendo potestas medica & virtus quælibet altum spirans paratur ac crescit, Legerem etiam non inuitus hoc pacto.

Hæc altis gaudens, &c.

Et sic

Et sic integer versus parenthesi contineretur. Vt vt sit, verba illa. *Altiu gaudens* nolim
A referre ad Aesculapium, vt *Geuartius*, sed ad *τὸ* facultas.

SERVO ANIMAM. Heroum animæ magnæ vt apud Tacitum sub finem Agric. Item diuinæ vt apud Cic. 2. de leg. Tales animas non nisi exacto quoque sæculo in terras delabi Plato asseuerabat.

SED LUCE SEQUENTI VINCITUR. Tibullus ad Messalam.

Sed generis prisci contendis vincere honores
Quam tibi maiores maius decus ipse futurus.

IURATA MANUS. Iuratus est & qui iurat & qui iuratur. Prioris significationis exemplum apud Cic. Verr. 2. & alibi cum iurati iudices vocantur, qui scilicet iurarunt. Posterioris apud Sidonium in Panegyr.

——— *Iuratur ab illis,*
Ignis & vnda deus.

Sed iuratam manum hic expone deuotam & quasi consecratam, à qua expositione nō procul discedit Domitius, sic infra iurata barba est deuota numinique sacra. Nisi fortè Statius intellexit manum inter solemnia iuramenti tactam. Qui enim iurabant, interdum manum eius tangebant apud quem sacramento se obligabant. Colligo ex Tacito 2. Annal. *Iurauere amici dextram morientis* (Germanici) *contingentes spiritum potius quam vl-*
B *tionem amissuros.* Cæterum non ineptè quidam hic legunt. *Durata.*

GALATIA VIGENS. Placet Morello *Rigens*, quia Galatia Ponto & Schytiæ plagis Septentrionalibus est vicina.

LATIS IAM PONTIS ARAXES. Hunc fluuium ponte iunxit Augustus de quo Virgil. lib. 8. & Sidonius Carm. 2.

——— *Venio non vt mihi pressus Araxes*
Impositō sub ponte fluat.

MAIORQUE CURULIS. Consulatus, quem & maiorem togam pati figura vocat Claudianus in 4. Honorij Conf.

Communem maiore toga signabitis annum.

VELEDAS. Huius meminit Tacit. 4. Hist. & de moribus Germanorum.

INIQUO IOVI. Plutoni quem & Iouem Stygium vocat Virgil. 4 Aeneid. & Homerus *καταχθόνιον Δία* Iliados *ι*. Sed & Neptunus Iouis nomine indigetatur, vt apud nostrum t. Achill. & Sidonium in Burgo Pontij.

MEDICIS EPIDAURUS ARENIS. Vim medicam inesse arenæ & ad calida fomenta eam adhiberi docet Dioscorides lib. 5. Plin. lib. 31. c. 6.

HERBA THOLO QUODCUMQUE TIBI. Variè tractant hunc locum Critici. Lipsius le-
C git. *Herba & olim quodcunque.* Geuartius vocem *Tholo* retinet, exponitque Statij verba, nulla authoritate fretus, de herbis quas Æsculapio vt medicinæ authori suspēdebant è tholo. Tabellæ quidem in templo eius Dei suspendebantur ab ægritudine liberatis, in quibus scriptum erat, quid auxiliatum esset, & hue puto Statiū respexisse. Vide Pli. lib. 29. c. 1. & Mercurialem lib. 1. art. gymnast. Non inficior tamen in quibusdam templis fuisse herbas, ex quibus antistites darent plerumque medicinas, vt in templo Bonæ deæ de quo Macrob. 1. Sat. c. 12. Qui locus videtur fugisse Geuartium, & tamen fulcit magnopere eius expositionem.

ANGUIS ABUNDAT SPUMATU. Aesculapius in anguem versus & hac specie Romam aduectus. Ouid. 15. Metam. Plin. lib. 29. c. 4. Vide & Pausan. lib. 2. & Macrob. 1. Sat. c. 20. Angui multa remedia inesse docet idem Plin. loco citato.

VOTIQUE LOCUS. Vota pro ducibus laborantibus suscepta, vt pro Pompeio ægrotante. Cic. 1. Tusc & Iuuen. Sat. 10. Sic pro L. Druso cum repentina vi morbi in publico concedisset. Aurel. Victor de vir. illustr. c. 66. Suet c. 45. Claud. Sed & pro Sanatis vota persoluta vt infra patet. Tacit 2 Annal. Suet c. 6. Calig.

RITU SE CINGIT UTERQUE PAEONIO. Quod hic de Apolline & Æsculapio, id de lapide medio finxit Virgil. in 12.

——— *ille retorto*

Pæonium in morem senior succinctus amictu.
Vnde etiam discimus qualis fuerit Pæonius ille cinctus.

NVNC AVRI VIGIL NVNC LVMINE CVNCTA AVGVROR. Superstitio veterum præcipua in augurtis vndequaque captandis fuit. Apul. de deo Socratis. *Videmus plerósque qui non suopte corde sed alterius verbo reguntur, consilia ex alienis vocibus colligunt, & vt ita dixerim non animo sed auribus cogitant.* Aptè ad hunc locum. A

SAEPE DEIS. Tib. ad Messalam.

Paruaque cœlestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Sen. 1. de beneficiis.

EVBOICI PVLVERIS ANNOS. Sibyllæ Cumææ annos qui in prouerbium vitæ diuturnæ venerunt, vt apud Propertium eleg. 1. lib. 2. Cur annos pulueris poëta dixerit leges apud Domitium, & Bernartium, si vetustiores authores non sint in manibus.

IN BALNEVM HETRVSCI.

SYNOPSIS.

IN celebrando Etrusci balneo poëta non inuocandas censet Musas aliáue sibi toties prece fatigata numina, sed Naiadas vndarum dominas, & ignipotentem Vulcanum: præcipuè vero Nymphas aquarum in Romanum Tybrim influentium. Laudatio balnei breuis sumitur à pretioso eius marmore, à labris, & fistulis argēteis, cameris vitro ornatis, & amœnitate lacus. in quo non renuat vel Cytherea nasci vel Hecate lauari. Adiungitur comparatio cum Baianis & Neronianis thermis. Extat apud Martialem epigramma similis argumenti. lib 6.

. TV QVOQVE MVTA FERAE. Hunc locum ita restituit Politianus. Nec tamen coniectura displicet Morelli ita legentis. *Tu quoque amica fera.* Fera sonora est testudo, quam vt Mercurius ad concentum aptarit, vide apud Philostratum in Iconibus.

PAVLVM ARMA NOCENTIA THEBAE PONITE. Hinc constat syluam hanc ante absolutam Thebaidem scriptam fuisse. Idem & de quibusdam aliis syluis potest affirmari. C

PROCAX MYRTIS. Horat. Ode 1. lib. 2.

Sed ne relictis Musa procax iocis.

ITE DEAS VIRIDES. Ambigua significatio huius imperatiui, Ite: vel enim properare cum fauore cœpit nymphas fontium, quo sensu Callimachus in lauac. Pall. dixit initio.

—— ἴτ' ὦ ἴτε.
χλοεῖ νῦν ὦ ἴτε, ...

Ire etiam pro *venire* exponit Lutatius in Thebaidem lib. 7. Vel, vt potius reor, eas valere iubet: hic enim multorum numinum præsentiam poëta deprecatur, imprimis lasciuientium nympharum quales istæ describuntur Veste nihil rectæ. &c. Statimque profitetur se inuocare nymphas septem Romæ montium & eas quæ lymphis suis Tibrim augent. Quamobrem etiam legendum videtur. *Auertite vultus* non *Aduertite*, contra Bernartium.

LIQVIDOS VVLTVS. Liquidum pro puto & claro. Sic liquidus ignis apud Virgil. in Sileno, & liquida vox apud Horat. in Epicedio Quintilij.

PRAECEPS ANIEN. Horatius.

A *Et praeceps Anio & Tiburti lucus*

Strabo lib.5. Τίβυρα μὲν ἐν ᾗ τὸ Ἡράκλειον καὶ ὁ καταῤῥάκτης ὃν ποιεῖ Ἀνίων, ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν καὶ κατάλσῆ, ita legit Casaubonus non κατάλσει. Anienem in Tiberim effundi docet ibidem Strabo.

VIRGO TVVAT. Aquam virginem Frontinus dictam ait quod eius fons à virgine fuerit indicatus. Plinius vero lib.31.c.3 quia Praenestina via labens, propior facta Herculeo riuo recedit longo diuerticulo. Hanc in balneis Etrusci commendat & Martialis lib.6.

Ritus si placeant tibi Laconum
Contentus potes arido vapore
Cruda virgine Martiáque mergi.

Vbi Modius legit.

Concepto potes arido vapore.

Aridus vapor est sine balneo sudor, qualem Lacones suis exercitationibus eliciebant.

PENDENS TRANSMITTITVR ARCV. Fornix struebatur ad sustinendas formas aquaeductuum Plin.lib.1.ep. 46. *Manent adhuc paucissimi arcus, possunt & erigi quidam lapide quadrato.* Molibus enim in altum substructis aquae deducebantur. Rutilius.

B *Quid loquar aërio pendentes fornice riuos*

Claudi in 6.Honor.Consul.

Inde salutato libatis Tybride lymphis
Excipiunt arcus operosáque semita vastis
Molibus, & quicquid tantae praemittitur vrbi

CAMINOS. Caminus apud veteres scriptores fornax seu furnus. Non enim emissaria fumi hodierna cognita fuere antiquis aut vsitata, vt notauit Lipsius in epistolis.

MOERET ONYX LONGOS QVERITVRQVE EXCLVSVS OPHITES. Haec tamen marmora in balneo Etrusci fuisse docet Martialis his versibus epig.42.lib.6.

Siccos pinguis onyx anhelat aestus:
Illic Taygeti virent metalla.
Et flamma tenui calent ophita.

VIX LOCVS EVROTAE VIRIDI. Epitheton viridis tribuit Eurotae, id est, marmori Lacedaemonio quod viride fuisse docet noster in Surrentino.

Hic & Amyclaei caesum de monte Lycurgi
Quod vires & molles imitatur rupibus herbas.

C Martialis de Etrusci balneis suprà

Illic Taygeti virent metalla.

Idem lib.9.in balneo Theccae ep 77.

De marmore omni quod Carystos inuenit,
Quod Phrygia Synas Afra quod Nomas mittit,
Et quod virenti fonte lauit Eurotas.

Geuartius pro *Viridi*, legit *Vrida*, quod minimè est necessarium. Constabit enim rectè sententia eiusmodi. Vix reperitur in thermulis Etrusci marmor viride Lacedaemonium, cum ibidem longa regula, id est, tractus viridis marmoris in modum regulae exporrecti cernatur varians & distinguens Synada seu marmor Synadicum purpureum. Significat poëta non triuialia sed rarissima quaeque & è longinquo petita marmora duntaxat balneum illud exornare. Non alius sensus huius loci, quem de marmoratione rectè accipit Geuartius. in qua diuersi coloris marmora iungebantur, sed praeter rem citat versus hos ex Surrentino Pollij.

Synade quot maesta Phrygia fodere secures
Per Cybeles lugentis agros, vbi marmore picto
Candida purpureo distinguitur area gyro.

E ij

Non enim ibi Statius designat vllũ marmorationis artificium, sed potius genus quoddam lapidis nempe Synadici quem variis coloribus natura ipsa distinxit. Id facilè mihi assentietur quisquis locum illum paulisper excusserit. Synadicum vero marmor purpura fuisse distinctum docent, non modò versus citati, sed & illi ex hac sylua: A

Sola nitet flauis Nomadum decisa metallis
Purpura, sola cauo Phrygia quam Synados antro
Ipse cruentauit maculis lucentibus Atys.

At ecce Plinius c.1.lib. 35. manifestè purpuram accersitam fuisse non natiuam in Synadico ostendit, cum luxuriam sui æui perstringens ait: *Vt ouatus esset Numidicus vt purpura distingueretur Synadicus qualiter illos nasci optarent deliciæ.* Quæ pax huic loco cum Statianis esse possit non video, nisi Plinium de marmoratione, poëtam de Synadico solitario interpretemur.

NON LVMINA CSSSANT. Sequuti sumus hanc Politiani emendationem, quam repudiat Geuartius vt Calderini opinionem sequatur, & nos docet marmora in liminum vsu fuisse, sed an ideirco limina non cessare dicantur salua Latini sermonis proprietate nobis inquirendum relinquit.

EFFVLGENT CAMERAE. Cameræ sunt ædium laquearia & parietes qui tanquam vasa inaurabantur. vnde Statius dixit eas effulgere. Vopiscus in Tacito. *Auro clauatis vestibus idem interdixit. Nam & ipse author Aureliano fuisse perhibetur vt aurum à vestibus & cameris & pellibus submoueretur.* Fulgor tamen camerarum potest etiam ad vitrum referri quo ornabantur. Sen. epist. 86. *Nisi*, inquit, *vitro absconditur camera.* Plin. libr. 36. *Pulsa ex humo pauimenta in Cameras transiere è vitro, nouitium & hoc inuentum.* Alia etiam erat causa fulgoris in cameris balnearum quia scilicet tergebantur ac poliebantur. Æschylus. B

Λῦται δὲ μὴν λουτήριον αὐνὰ δεύτερον.

Cameta nomen est originis peregrinæ. Macrob. 6. Saturn. c. 4. & Cama hodie Hispanis lectum significat.

VARIO FASTIGIA VITRO. Varium dicitur vitrum, id est, imaginibus versicoloribus signatum, quale in specularibus templorum hodie cernitur. Illud solidabatur bitumine aliisque medicamentis vt docet Vopiscus in Firmo, vel ouo cum calce mixta. Isid. lib. 12. orig.

ARGENTO FELIX PROPELLITVR VNDA. Significat canales ex argento fuisse, imò & labra. Sen. in epist. *Nisi Parius & Thasius lapis quondam rarum in aliquo templo spectaculum piscinas nostras circumdederit, nisi aquam argentea epistomia fuderint.* Plin. lib. 35. c. 12. *Nisi argentea solia fastidiant, eadémque materia & probris seruiat & cibis. Videret hæc Fabricius, & stratas argento mulierum balneas.* C

CREPANTES AVDITVRA PILAS. Mirum quam variè pilæ istæ tractentur, quantaque contentione de iis certent interpretes. Robortellus fulcra interpretatur seu columnas paruas quæ certo ordine collocatæ pauimentum balnearum sustinebant, vt fusè exponit in descriptione sudationis Pisanæ. Rhodiginus glomos pice illitos ait hic significari qui à seruis fornacatoribus iniiciebantur ad ignem excitandum: Idem sentit Mercurialis. 1. art. gymn. Turnebus denique pilas lusorias hic exponit quibus in balneis se exercebant interim dum hypocausta calefierent. Cui assentiri videtur Matsil. in Suet. Vespas. Iuncta quidem hypocaustis Sphæristeria fuere. Vlp. l. 16. ff. Mandati. Plin. lib. 5. ep. 6. & lib. 2. ep. 17.

HYPOCAVSTA. Sunt fornaces seu caminatæ structuræ calidario, calidæ lauationi atque vasario suppositæ in quibus ad calefaciendam aquam & prædicta balnearum loca succendebatur ignis, cuius calor per tubos & canales parietibus in orbem affixos quoquo versus spargebatur. Mercurialis loco citato. Horum vsus hodie frequens in Germania, vbi triclinia calefiunt hypocaustis.

NERONAEA NEC QVI MODO LOTVS IN VNDA In Thermis Neronianis, de quibus sæpe A Martialis, vt epig 33. lib. 7. & lib. 2. epig. 48. Calidissimæ fuisse videntur. Idem epigrammate 72. lib. 3.

Neronianas is refrigerat thermas.

FORTVNA RENASCI. Restituta dicuntur renasci. Sic renata templa Mart. epig. 4. lib. 6. & renata lex Iulia epig. 7. eiusdem libri.

IN CAL. DECEMBRES.

SYNOPSIS.

SAturnalibus epulum pop. Rom. dederat Domitianus, præterea ludos gladiatorios, & B missilia quæ ampliter sparserat in plebem. Quam liberalitatem assentatione solita noster extollit. Non abs re miratur interpres regius cur hanc Saturnalium festiuitatem Cal. Decembribus Statius attribuat, nam ita hoc carmen inscripsit vt liquet ex prima eius epistola, cum tamen Saturni Festum incideret in 14. vel 16. Cal. Ianuar. Sed vt sacrorum dies vous tantum fuerit, plures certe lętitiæ fuerunt qui scilicet in Festorum huiusmodi apparatu consumebantur. vnde celebritas totum Decembrem occupabat, quod non obscure testatur Seneca in epistolis. Eodem mense Septimontium celebrabatur, de quo vide Scalig. in Festum. Ob hęc igitur Festa & alia quædam mensis December summa cum voluptate & licentia traducebatur. Hinc libertatem Decembrem dixit Horatius lib. 2. Serm. Martialis epig. ad Silium,

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc & hinc fritillis
Et ludit rota nequiore talo.

Denique hunc mensem Saturno sacrum & dicatum docet illud Martialis epig. ad Saturnum lib. 12.

At tu sancte tuo sic semper amere Decembri.

SEVERA PALLAS. Tetrica. Martiali epig. de Plinio.

C *Totos dat tetricæ dies Minervæ.*

Lucianus in dial. Ven. & Cupid. Author Priapeiorum Carm. 1.

SATVRNVS MIHI COMPEDE EXOLVTA. Fabulam Saturni breuiter tangit Arnobius lib. 4. *Nunquid à nobis dicitur ex pelago spuma & cæli genitalibus amputatis Cytheræa Veneris concretum coaluisse candorem? nunquid parricidij causa vinctum esse Saturnum & suis diebus tantis vinculorum ponderibus releuari.* Plut in quæst. Rom.

EBRIAMQVE PARTEM. Mendosa lectio quam varie Critici correxerunt, ex quorum cõiecturis magis illa placet. *Ebriamque noctem.* Simili enim sensu dictus est supra, *Granidus mero December*, quia in eo mense vinum largius bibebatur, vnde Iuuenalis dixit,

——— *& vinum toto nescire Decembri.*

Martialis epigram. 1. lib. 14. madidos Saturni dies dixit. & vnctos eiusdem dies epigram. 7. lib. xi.

IANI VOS REVOCABIMVS CALENDIS. Respicit ad morem artes delibandi primo Ianuarij die, de quo Ouid. 1. Fast. Tamen priuata studia ferè auspicabantur Vulcanalibus, vt docet Plin. epist. de morte auunculi.

BELLARIA ADOREA PLVEBANT. id est, Farracea vt adorea liba apud Virgilium. Ador enim farris genus Festo lib. 1. dicitur & substantiuè adorea & exponitur in glossario σῖτος εἶπον. Apud Plautum vero, Apuleium, & veteres adorea laudem significat, vt notauit idem Festus. Pluere Bellaria dicuntur eodem sensu quo imbres odorati apud Senecam in con-

trouectiis. Hæc enim sparsio missilium imber translatitie vocatur. Marsilius in Amphit. Mart. Male Bernartius adorea exponit hoc loco laudabilia. Quid laudis in libo? A

PIA GERMINAT DAMASCVS. Syria prunis & mixis abundat teste Plinio. Pia autem Damascus vocatur, quia Syri deorũ cultui imprimis addicti fuere, vt legere est apud Geographum & Diodorum siculum. Hinc etiam Iudæi qui in Syria numerantur superstitiosi dicuntur Apuleio in Florid. lege commentaria Bernartij.

EBOSIA CANNAS. Insula est in mari Balearico, quæ ἔβουσος Straboni, Plinio aliisque Ebosus, in qua teste Geographo nascitur iuncus odoratus & canna Zaccharis. Ebosiam nonnulli in Chio collocant, inquit Domitius. Tales ergo cannæ hic à Statio intelliguntur in quibus dulcem hunc fructum nasci experti scimus. & docet Dioscorides lib. 2. Lucanus lib. 3. aliud quam saccharum in ore & mente habuit hoc versu.

Quique bibunt tenera dulces ab arundine succos,

vt notauit Mathiolus in Dioscoridem. Ex India etiam & felice Arabia saccarum aduehi solitum docet Galenus de simplic. medicam. Non est necessaria correctio illa eruditorum.

Et quæ præcocibus reposta cannis.

Sed neque illa Geuartij legentis *Ibosita* pro *Ebosia*. Si enim admittit in hac voce systolen, cur non & ectasin. Poëtæ securi sunt iam paruæ obseruationis. Saccarum Plinio lib. 12. c. 8. & Straboni mellis genus. Denique Hermolaus in corollario. 2. Dioscoridis legit *Hippasita*, non *Ebosia*. B

MOLLES CAIOLI LAGVNCVLIQVE. Domitius sigilla Caij & Lagonis puerorum exponit, quorum formæ impressæ libis & operibus dulciariis inter alia munera Saturnalibus mittebantur teste Macrobio. Nonnulli legunt *Molles Caseoli lucunculique.* hæc enim etiam inter dona eiusmodi numerantur. Lucunculus ὑποκοριστικὸν à Lucuns. Turnebus in aduers.

ET MASSIS AMERINA NON PERVSTIS. Tametsi tolerari potest hæc lectio, non tamen displicet emendatio Heinsij apud Geuartium.

Et Passis Amerina cum perustis.

Quid sint passa perusta, & cur sic vocentur notum ex rei rusticæ scriptoribus. Amerina sunt pyra ab Ameria vrbe.

LATENTA PALMA. Caryotæ fructus palmæ: has inauratas mitti consueuisse constat ex Martiali. hinc latentem palmam apud Statium id est auro obductam bene exponit Geuartius.

CAVEAS PER OMNES. Triplex in spectaculis cauea, summa media & ima vt notant qui de circo & theatro scripserunt. Nec theatri tantum cauea dicitur, sed Circi & Amphitheatri. De circensi cauea Virgil. in 7. de Amphitheatrali Marcellinus lib. 21. & 30. hæc propriè arena dicitur. C

PANARIA. Vasa in quibus panis conditur. Suet. Domit. *Senatus equitique panariis, plebi sportellis cum opsonio distributis initium vescendi primus fecit.* Idem de Calig. *Panaria cum opsonio viritim diuisit.*

ANNONA DIEM SVPERBA NESCIS. Non sentis iacturam vllam huius diei aut propterea tui penuriam afferes. Domitius. Significat poëta hanc principis liberalitatem non incendere annonam.

MARCIDA VINA. ab effectu, vt mors pallida dicitur. De marcore vinolentorum Seneca in epistolis. Sidonius epist. ad Pontium Leontium *habes hic Dionysium inter triumphi Indici oblectamenta marcentem.*

CONVIVAM DVCIS ASSE GLORIATVR Martialis ad Domit. lib. 8.

Vescitur omnis eques tecum populusque patresque.

In magno hoc erat, cœnæ Imperatoriæ participem fieri, nec immeritò, quia Plin. epist. 6. lib. 2. cæteris rebus exæquat quos cœna & mensa æquauit. Ideo valde expetebatur is honos quem mensæ regalis honorem vocat Ammianus lib. 15 Et principis epulæ diuinæ vocantur l. 7. C. de comit. & trib. schol. Eam ob rem sic gloriatur Statius lib. 4.

Ast ego cui sacræ Cæsar noua gaudia cœnæ
Nunc primum dominaque dedit consurgere mensa.

A Et Claudianus inter alia obiicit Eutropio li. 2. inuidiosum illum titulum eius statuis subscriptum.

Conuiua & domini.

Vide Suet. in Vespas. c. 2.

STAT SEXVS RVDIS. Suet in Domit. *Venationes gladiatoresque & noctibus ad lychnuchos dedit, nec virorum modo pugnas sed feminarum.* Tacitus li. 15. de Nerone. *feminarum Senatorumque illustrium plures per arenam fœdati sunt.*

PVMILONVM. Xiphil. in Domit. τοὺς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάννους καὶ γυναῖκας συνέβαλε. Plura Bernartius in commentariis.

ET MORTEM SIBI. Acutè Marsilius in Amphith. emendat *En mortem.* vt hæc verba per admirationem sint interpretanda.

DIVES SPARSIO. De sparsione summatim dicam quæ sparsim apud authores leguntur vt subleuem aliquatenus laborem studiosæ iuuentutis. Ea nihil aliud fuit quam gratuita erogatio auium, vestium, fructuum, nummorum & aliorum missilium quæ è loco sublimi in populum publicè spargebantur ea conditione vt fierent rapientis. Vsurpata fuit

B præsertim à principibus vt Domitiano hic, & ante eum Augustus Capreis epulum præbuerat, permissa iocandi licentia, diripiendique pomorum & opsoniorum rerumque missilium. Id fiebat plerumque Cal. Ianuarij, auspicali scilicet magistratuum die. hinc Iustinus apud Corippum lib. 2. ait,

Ditabo plebes opibus nomenque negatum
Consulibus Consul post tempora cuncta nouabo
Gaudeat vt totus Iustini munere mundus
Dona Calendarum properant vicina mearum.

Vopiscus in Aureliano & Probo. Iustinianus Nouella 105. sparsionem missilium Consulibus certis diebus concessam fuisse testatur. Princeps autem locum editionem putà turrim conscendebat vt missilia facilius spargeret. Sic Titus apud Dionem deiicit ἄνωθεν rotundas tesseras è ligno, quibus inscripta erant signa aut cibi aut alterius rei, quas qui rapuisset ad eos deferret, quibus ea largitio commissa erat, rem pro signo accepturus. Idem ante fecerat Agrippa, & talia symbola deiecerat in theatrum, vt narrat idem author. Interdum enim tesseræ tantum pro rebus ipsis mittebantur, qui mos in frumẽtatione etiam obseruatus vt fusè differuit Lipsius 1. Electorum: & sic interpretandus Martialis lib. 8. epig. de ludis Stellæ magnificis.

Nunc dat spectatas tessera larga feras:

C *Nunc implere sinus securos gaudet, & absens*
Sortitur dominos nec laceratur auis.

Sæpe tamen res ipsæ dabantur præcipuè numismata. Martialis loco citato,

Nunc veniunt subitis lasciua numismata nimbis.

Hoc genus liberalitatis ex Cedreno rogam Byzantinis vocari putat Bulengerus in suo Imperatore, sed fallitur. Nam roga est stipẽdium militum apud Cedrenum in Zoë & Curopalatem & P. Diaconum lib. 18. Quæ dictio vt pleræque aliæ à Byzantinæ historiæ scriptoribus in Græcum sermonem è Latino detorta est: vnde ῥογάτορες Curopalatæ sunt milites stipendia facientes, & ῥογεύειν apud Nicetam, est delectum militum habere ab erogatione stipendij dictum. Missilia vero in populum sparsa ab orientis principibus ἀποκόμβια dicta à nodis seu sectionibus è panno quibus hæc numismata inuoluebantur, ne iactu violento populum offenderent. Curopalates de coronatione Imperatoris. Et tamen hæc confundit Bulengerus cum roga militari. Claudianus in 6. Honor. Consulatum,

—— *Tecum prælarga vocauit*
Ditandas ad dona tribus. Meminit huius largitionis idem 2. in Ruf.

ſinum. Quæ à Conſtantino piè ſolenni Feſto vſurpata. Euſebius lib. 4. *διαλαβοῦσαι τῆς ἐπὶ ταῖς σωτηρίας ἐνεργείας μιμούμενος πᾶσιν ἔθνεσι λαοῖς καὶ δήμοις τὴν εὐεργετικὴν δεξιὰν ἐξήπλου, πλούσια πάντα πᾶσι δωρούμενος.* Gregorius Turonenſis lib. 2. de Clodoueo. *Tunc*, inquit, A
aſcenſo equo aurum argentumque in itinere quod inter portam atrij & Eccleſiam ciuitatis eſt, ſpargens manu propria, voluntate benigniſſimà erogauit. Vbi nota in tranſcurſu hæc miſſilia ſpargi ſolita ante Eccleſias. Quem morem noſtri reges ſeruant cum inaugurantur. Vide Athenæum de Antiocho Epiphane lib. 10. & Curopalatem loco citato. Cæterum quis credat Bernartio hunc Statij locum de ſparſione eroci interpretanti? Enimuero hanc aureorum diſtributionem frequenter vſurpatam fuiſſe Byzantinis docet Nicetas in Ioanne Comneno.

FACILES EMI PVELLAE. Mos circenſis & theatralis tangitur, de quo iampridem viri docti, inter hos Lipſius c. XI. lib. 1. Elect.

LYDIAE TVMENTES. Lydias obeſas fuiſſe ex Iuuenale obſeruauit Turnebus 15. aduerſ. c. 17. Eaſdem Ludias & laſciuas fuiſſe docuit ex vetere poeta Athenæus lib. 12. 14. & 15.

TINNVLAEQVE GADES. Hinc cantica Gaditana apud Martialem. Sed epitheton *Tinnulæ* referendum eſt ad teſtulas & officula, quibus crepitum inter ſaltandum Gaditani excitabant, quæ & crumata eidem Martiali.

Edere laſciuos ad Bætica crumata geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Puellæ enim huius tractus ludibundæ, vt ex eodem conſtat epigrammate 120. & Iuuenale Sat. 2. B

SYRORVM. Ex Syria plerique ſerui Romæ. Cic. in Piſonem. Iique artes ludicras præcipuè canendi aut ſaltandi exercebant. Capitol. in vero. *Adduxerat ſecum & fidicinas & tibicines & hiſtriones, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria paſcitur voluptate.* Confirmat id Virgil. in Copa & Athenæus vbi de Muſicis inſtrumentis agit. Hic Statius recenſet eas nationes quæ ludicris pſallendi ſaltandique artibus commendantur, vt Lydias Gaditanas, Syrias.

PERMVTAT VITREIS SVLPHVR. Martialis,

Qui Pallentia Sulphurata fractis
Permutat vitreis,

Vitrea fracta prouerbiali ſchemate ſunt res friuolæ & nullius pretij, vt Petronio in Sat. & Xiphil. in Claudio.

NILVS SACER. Plut. de Iſide & Oſiride, *οὐδὲν οὕτω τίμιον Αἰγυπτίοις ὡς ὁ Νεῖλος.* hunc fluuium diuinis honoribus coli in Aegypto docent etiam Diodorus & Heliodorus lib. 9. Item Scholiaſtes Pindari in Pyth. Ode 4. Ideo ſacer is dictus. Sed & fluuij quidam & lacus ſacri, in quibus nefas nauigare. Plinius ep. 20. lib 8.

VDO NVMIDAE LEGVNT SVB AVSTRO. Vdus Auſter dicitur, habita ratione harum regionum citra Æquatorem iacentium. Nam in Numidia ventus ille ſerenus eſt. Ariſtoteles 2. Meteor. & Plin. lib. 2. hiſt. Item in Aethiopia: Simocatta lib. 7. ſub finem. Aues ergo Numidicas hic intellige de quibus Horatius Ode 1. Epod. Plin. lib. 10. c. 48. & Cicer. 1. de nat Deor. C

VOLVCRVM PER ASTRA NVBES. Virgil. lib. 7.

Vrgeri volucrum raucarum ad litora nubem.

Nubes pro multitudine & copia, vt equitum peditumque nubes apud Plut. in Flamin. & *νέφος πολεμίων* apud Choniaten in Manuele Comneno lib. 1.

DESVNT QVI RAPIANT. Tanta eſt copia miſſilium in hac Domitiani ſparſione vt ſuperet multitudinem legentium & rapientium. Similis fuit huic Sparſioni venatio direptionis, in qua herbatica animalia populo dabantur in direptionem, quæ & Pancarpus ſeu Pancarpum dicebatur, vt viri docti cenſent, inter hos Bulengerus qui tamen parum ſibi conſtat, quandoquidem in appendice ſui operis de triumpho ex authoritate Caſſiani ſcribit in Pancarpo arenarios cum beſtiis depugnaſſe. Id etiam obſeruari potuit ex Nouella cv. At idem in ſua Venatione c. 24. duplicem venationem agnoſcit, vnam direptionis, alteram pugnæ. Qui poteſt defendi hæc diuiſio, ſi in Pancarpo quod confundit ipſe

cum venatione direptionis fuit pugnatum, vt ex Cassiano obseruat? Vbi enim pugnant
A arenarij cum feris, ibi est venatio pugnæ: at hanc conuenire Pancarpo negat, in quo tamen alibi fatetur arenarios certasse. Verba eius sunt lib. 2 de Imperatore Romano c.12. Non omnis, inquit, venatio seu pugna cum feris est Pancarpum, sed sola venatio direptionis, vbi herbatica animalia quasi omnis generis fructus in direptionem populo dantur. Vides hic ab eo definiri Pancarpum, quasi sola direptio ferarum in illo spectaretur, contra quàm in appendice illa notatur. Sed multa sunt in quibus constantiam hominis desideres. Idem paulo post reprehendit Marsilium, quod discrimen male statuerit inter Pancarpum & venationem direptionis. Certè aut Bulengerus folio victitat, aut Marsilius pugnantia loquutus est. Hic enim in Amphitheat. Martialis Pancarpum manifeste confundit cum venatione direptionis, quam rectè nihil ad hunc locum, sed tamen confundit. Non paruum autem esse inter Pancarpum & venationem direptionis discrimen contra quàm sentit Bulengerus in suo Imperatore, alibi demonstrabimus, & ex prædictis satis colligi potest.

SATVRNALIA PRINCIPIS SONANTES. Liuius lib. 23. *Per vrbem Saturnalia die ac nocte clamatū* Macrobius. *Apud ædem Saturni conuiuio soluto Saturnalia clamabant.* Arrianus in dissertationibus Epicteti. *τῷ γὰρ παιδίῳ ὅταν προσελθόντα κροτῇ καὶ λέγῃ σήμερον Σατουρνάλια ἀγαθὰ*
B *λέγουσι.*

FLAMMEVS ORBIS. Statius 4. Theb.

—— humeros & pectora late
Flammeus orbis habet.

PATERQVE TYBRIS. Patris epitheton fluminibus tribuitur, quod generatio humore præsertim constet. hinc Oceanus poëtis rerum pater appellatur. Silius Italicus lib. 12.

Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes.

Exempla innumera occurrunt.

AD EPIST. LIB. 2.

ASPERIORE LIMA. Plin. epist. 2. lib. 1. *Quo magis intendam limam tuam:* Et alibi iudicij limam vocat.

SVPERVACVA TARDA SOLATIA. Huc spectat illud Tiberij ad Ilienses legatos de quo
C Suet. c. 52. Tib.

FRIGIDVM ERAT. Frigidum dicitur quod minus amabile vel inutile est, vt apud Sophocl. in Antig.

θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις.

Quæ verba scholiastes sic interpretatur, *ἐπ' ἀνδίοι τέρπεις τὴν ψυχὴν.* Plin. lib. 1. epist. 9. *Quot dies quam frigidis rebus absumpsi.*

AD EPICEDIVM IN GLAVCIAM MELIORIS.

Synopsis.

MElior ē Atedium languentem desiderio amissi Glauciæ solari aggreditur cum aliqua tamen cunctatione, cum recentem adhuc doloris plagam attingere intempe-

stiuè videatur. Quam criminationem vt auertat, socium se mœroris profitetur, & Melioris anxietati cupit illacrymare, tum veluti laxatis tristitiæ habenis puerum dilectum deplorat, laudemque eius sumit à forma, præcoci virtute, qua omnium amorem in se excitauit, ad extremum pompam eius funebrem & ad inferos descensum in solatium domini Melioris poëticè describit.

IMPROBVS. Importunus & molestus, vt sylua 2. Cupido,

—— pharetra

Improbus & densa trepidantem Cuspide figit.

Et in Tiburtino.

—— frangunt hic improba solem

Frigora.

Eodem sensu labor improbus apud poëtam.

INTEMPESTA CANO. Plinius eleganter lib. 5. ep. 16. *Vt crudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltro requirit, sic recens animi dolor consolationes reiicit mox desiderat.*

IAM FLENDI EXPLETA VOLVPTAS. Conuenit illud,

—— est quædam flere voluptas.

Statius 5. Theb.

Dulce loqui miseris, veteresque reducere questus. B

Electra apud Sophoclem beatam prædicat Nioben cui contigit perpetuis lacrymis irrigati. Plinius epist. 16. lib. 8. *Est quædam etiam dolendi voluptas, præsertim si in amici sinu defleas.* Vide Pacatum in panegyr. Theod.

CARMINA IN ORE NATANT Persius Sat. I.

Hoc natat in labris & in vdo est Mænas & Atys.

CADVNT IN VERBA LITVRAE. D. Hieron. ad Heliodorum *Istæ quoque literæ testes sunt quas tu lacrymis cernis interlitas.*

SPECTATVMQVE VRBI SCELVS. Quasi scelus sit fatorum aut numinum, puerum illum morte immatura eripi: quò spectat illud in Soreriis Rutilij,

Nec tantum in lucrint fatis noua secula crimen.

Notæ sunt ea de re veterum aduersus deos querelæ, plenæ stultæ impietatis.

PLORANTEMQVE ANIMAM. Hanc lectionem asserit ex dogmate Platonis Geuartius, nihil tamen vetat legere *Ploratam*, vt infra docemus, quanquam non inficior vmbras interdum lugentes induci, vt illam Patrocli Iliad. 23.

VITTIS ET FRONTIS HONORE SOLVTO. Forte legendum *frondis*, Vatibus enim & vittæ & frondes tribuuntur. De vittis satis dictum. De frondibus res pariter nota. Statius lib. 5. C

—— Vatem cultu Parnasia monstrant

Vellera, frondenti crinitur cassis oliua.

Vittas in luctu interdum ponebant vt hic & 11. Theb. interdum sumebant, vt infrà lacrymis Etrusci,

Hunc vittata comam niueoque insignis amictu

Mittebas exequias ades.

Vide Bernartium, qui dissidentes hac de re scriptores conciliat.

MIXTAE RISV LACRYMAE Expressit illud Homeri:

δακρυόεν γελάσασα.

Infrà in protreptico ad Crispinum,

—— Quanto manarent gaudia fletu?

CVI SIBILA SERPENS PONERET. Rectè Domitius putat Statium ad Herculis fabulam respexisse qui geminos angues à nouerca Iunone immissos puer elisit Id satis confirmat series orationis, in qua nouercarum itæ fit mentio, & comparatio annorum Glauciæ cum laboribus Herculis quam paulo infra subiungit. Vox plorati infantis, ait poeta, adeò suauis erat & mellita vt mitigare facile posset serpentes, & ferociorem serpentibus iram nouercalem Iunonis. Cui cordato non erit cordi hæc interpretatio? tamen eam exagitat.

Geuartius, cum nihil afferat præter ridiculam expositionem de vocibus magicis, quibus
A angues sopiti possunt aut necari Quid nefandæ artes veneficorum & Thessalorum vires ad laudem poeti? Istone modo Statium amicorum memoriam nomenque colere, vt nunc mendaces, nunc incantatores palam vocet? Nugæ.

IVRATAQVE MVLTVM BARBA TIBI. Iurata barba est promissa & deuota, vt exposuimus in Soteriis Rutilij.

MAROO COMAE. Pueri ferè capillati erant præsertim qui in delitiis. Martialis lib. 5.

Parere gaudent villico capillati.

Sen. ep. 120. *Si pertinere ad te iudices, quam crinitus puer poculum tibi porrigat.* Apul. de deo Socratis familias calamistratas dixit. Petron. in Satyr. Philo περὶ βίου θεωρητ.

LIBATAQVE VINA AVFERET. Conuiuantes post libationem reliquum vini dare puero solebant. Athen. lib. vlt. symp Sed & dapes prælibabant diis, Horat. Sat. 6. li. 2.

Ante larem proprium vescor, vernasque procaces
Pasco libatis dapibus.

NATOS GENVISSE NECESSE EST, AT LEGISSE IVVAT. Locus insignis quo docet adoptiuam prolem interdum præferri natiuæ, idque similitudinibus & exemplis amplificat. Vide Bernartij notas.

B MENS ANIMVSQVE. Duo hæc distinguntur non modo apud Philosophos, sed etiam poëtas. Virgil. in 6.

——— *Magnam cui mentem animumque.*

Catullus epist. ad Mall.

Mens animi, tantis fluctuat illa malis.

ILLE VELVT PRIMOS. Vulgata comparatio floris & vitæ Isidorus flores quasi fluores dictos ait lib. 17. orig. Austrum floribus inimicum Bucolica testantur.

CATENATIS PALAESTRIS. Cur palæstræ catenatæ dicantur, disces ex Mercuriali li. 2. artis gymnasticæ. Pancratium, inquit, volutatorium genus erat luctæ, cum se humi prosternebant, atque ibi inuicem complicati seque mutuo conuoluentes alter alterum sibi supponere nitebantur.

ORSA MENANDRI. Poëtæ orditi dicuntur. Silius Italicus initio Punic.

Ordior arma quibus &c.

Nostra Bartasius in sua Iudith.

Et tandis que s'ourdis vne si riche toile, &c.

Hinc orsa pro carminibus. Ausonius protrept. ad Nep.

Conditor Iliados & amabilis orsa Menandri
C *Euoluenda tibi.*

INVIDIA. Geuartius alienissimam iterum sententiam Statio affingit, quasi inuidiam Glauciæ nutricem assignauerit, idque confirmare nititur, inani conatu. Nam locus quem citat ex epicedio Pileti ostendit duntaxat, inuidiam & mortem iniici morituris, eosque comprehendere, sed id longè aliud est quàm eos nutrire. Ad vituperium potius quàm ad laudem pertinet figmentum tale de inuidia nutrice. Sic enim Claudianus Megæram inducit, infantem Rufinum gremio fouentem, vberaque ei præbentem Itaque sequor interpretes, qui τὸ *Inuidia* in auferendi casu exponunt, non in nominandi, quemadmodum ille opinatur, vt inuidiæ Lachesin poëta accuset. Fulcit hanc interpretationem quod sequitur,

——— *inimica leuauit*
Parca manus.

Quoniam tamen duo ablatiui duriusculè hoc pacto iungerentur, existimo sic legi posse,

——— *puerum gremio complexa, fouebat*
Inuidiam.

Acute dictum. Lachesis puerum complexa gremio, fouebat non tam ipsum, quàm inuidiam suam.

IPSE PATER SENSVS. Sensus hic pro intelligentia & iudicio, quarum rerum vsus in pueritia ratus & stupendus. Sensus communis apud Quintil. li. 1. c. de recta pueri institutione ita accipitur pro vulgari & ingenita omnibus hominibus intelligentia: Item apud Iuuen. Sat. 8. A

Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna.

Quo magis miror Casaubonum, locum illum in Suetonianis obseruationibus interpretari de virtute ciuilitatis: Mens enim Iuuenalis est tota illa Satyra nobilitatem insectari & contemnere, ob ingenita & familiaria ipsi vitia, præsertim socordiam, quam ferè parit fortunæ sublimitas & rerum affluentia, vnde ait rarum esse in ea sensum communem, quem significare ciuilitatem non facile imponet vir ille doctissimus. Sententiæ Satyrici conuenit prouerbium illud Senecæ in apotheosi Claudiana, cui priscorum principum fatuitas & ignauia occasionem dedit. Sed hæc παρέργῶς. Vereor autem ne dum oscitationem magni viri demonstro, aliquis in me vsurpet illud Homericum,

Τὸν δ' ἄλλους ἰατρεύς' αὐτὸς δ' ἕλκεσιν βρύει χρᾶς.

REFRINGERE. Malo *Refingere*, quod verbum sententiæ magis conuenit. Vult enim Statius Lachesin monstrasse artes & verba reformasse pueri Glauciæ qui male vt id genus ætatis solet ea proferebat. Quam autem necessarium & frequens sit pueris verba sua refingere, nemo nescit nisi puer. At Geuartius retinet *Refringere*, & exponit, vocem extenuate, quasi opus esset infanti doctore aut magistra ad vocem extenuandam. Fortasse is sententiam atque expositionem suam refinget.. B

ENORMES SINVS. Laxas vestes Domitius interpretatur. Sinus vestis pro tota veste hic & infrà.

NVNC HERBAS IMITANTE SINV. Viridem colorem intelligit, qui proprius herbarum. De hoc Martialis lib. 5. ep. 24.

Herbarum fueras imitatus Basse colores.

Herbidam pallam dixit Capella lib. 1.

SOLA VERECVNDO DEERAT PRAETEXTA PVDORI. Prætexta non dabatur libertinis, nec eorum filiis. Postea tamen istis cōcessam fuisse si modo ex iusta matrefamilias nati essent, docet Macrob. 1 Saturn. Eam ob causam Glaucia non habebat ius prætextæ, quod his verbis indicatur, *Hæc fortuna domus.* Nec verò Romanorum duntaxat sed Sybaritarum quoque pueris ius fuit prætextæ vsque ad pubertatem. Athenæus lib 12.

INIMICA LEVAVIT PARCA MANVS Ex hoc epitheto liquet errare Scaligerum qui in sua poetice Parcam à parcendo ietiò deducit. Si enim ita est cur inimica dicitur, cur Lachesis inuida apud Martialem lib. 10. epigr. 53. cur clotho abrumpere dicitur vitæ tempora apud Senecam in Claudiana apotheosi? & in Octauia actu i. vt alia loca pene innumera omittam. At inquit, ex Parcis vna tantum (scilicet Atropos) abrumpit vitæ filum. Cæteræ nent. Quasi nere vitam apud Parcas aliud esset quam eius tempora dispensare, certosque & nulli transgrediendos præscribere terminos: vnde & ipsa Atropos nere dicitur in 4 Theb. C

——— *hos ferrea neuerat annos*
Atropos.

Certe vir magnus qui Pædagogorum iudicium vbique aspernatur, non debuit aliquid comminisci quod triuialium Grammaticorum superaret assanias Sed eum, opinor, famæ sublimitas à reprehensionis periculo vindicat. Non tamen continebo veram vocem. Omnia ferre possunt: Superba quorumdam togatorum fastidia pati nequeo, qui bonarum artium professoribus insultant, quos in symposiis ac circulis non nisi contemptissimo pædagogorum nomine solent designare. Vitium hoc est ætatis, cuius culpam scio nōnullis magistris posse imputari, quibus dispeream si quid est vilius aut humano commercio indi nius, sed iniquum est ex vilitate paucorum vniuersos æstimare. Atque is contemptus tolerabilior forte videretur, si in viris militaribus aut palatinis duntaxat hæreret, sed ô rem ridiculam! ordo literatorum ab iis maxime despicitur, qui eruditi esse & audire cupiunt. Turpe putant docere quod videri volunt didicisse. Nimirum

homines præposterè ambitiosi tum demum extrà numerum positi & aliquid palatinæ dignitatis redolere sibi videntur, si fatale & ingenitum nobilibus professorum fastidium
A imitentur. Miseri vineta cædunt sua,& vt Comici canes, aliatrant suos.

θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὥς τυ φάγωντι.

Extra oleas, fateor, excurro, sed hanc mihi *παρέκβασιν* iusta indignatio dictauit.

GRATVM EST FATA TAMEN Hunc locum integrum esse credit Geuartius non ego. Vult ille poëtam alloqui fata in hunc sensum O fata gratum est, quod non mors, &c.

Sed duriusculus esset hoc vocatiuo versus, nec video quid fuerit necesse Statio fata hic vocare. Coniicio archetypi scripturam hanc fuisse. *Attamen est gratum*, facile fuit imperitis olim exscriptoribus pro *Attamen* substituere *fata tamen*, deinde transponere & locis suis mouere voces illas quod nimis sæpe accidisse norunt Criticæ antistites. Vel sic lege *Grata huic fata tamen*, vt τὸ fata sit nominandi casus. Sic minimùm discedes à vestigiis communis scripturæ.

MANESQVE SVBIVIT INTEGER. Nimis tenuiter explicat hæc verba Geuartius, dum ait poëtam agere gratias ipsis fatis, quod Glaucias seruato vultus sui decore & pulchritudine ad plures migrauerit, idque illustrat veterum testimoniis quæ prius obseruauit Casaubonus in Suet Augustum. Sed vox *integer*, aliud quiddam sonat: opponitur enim
B mutilo propriè non deformi tantum. Et allusit Statius ad priscam superstitionem qua credebantur illi infeliciter mori qui trunco aut cruentato corpore decedebant, eorúmq; simulachra putabantur eadem vulnerum vestigia quibus deformati in vita fuerant post mortem perpetuò ferre. Exemplum in 2. Aeneidos de Hectore, & in 6. de Deiphobo.

CRINEM TENET INFERA IVNO. Scholiastes Euripidis, *ὡς*, inquit, *ἔθος ὄντος τὸν θάνατον μέλλοντος ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν*. Muretus in variis. Iuno infera est Proserpina hic & in 6. Aeneid.

QVOD CILICVM FLORES. In sepulchra flores & odores coniicere moris fuit. De odoribus infrà. flores sepulchri vocat Sophocles in Electra. D. Hieron. epist. ad Pammach. *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, vt dolorem pectoris his officiis consolentur.* Sic etiam hodie mortuis præsertim virginibus foras spectantibus serta & corollas superimponi videmus.

PHARIIQVE (PALAM EST) VIDIQVE LIQVORES. Ita distinguit Rhodiginus lib. 17. antiq. & Vidios seu Vidos liquores exponit Syriacos ab vrbe Syriæ Vida. Qua de re quid sentiat Geuartius vide apud ipsum, simúlque rationem expende qua reprehendit Cælium. Si à Vida vrbe, inquit epitheton tractum esset, non *Vidi*, sed *Vidij* liquores dicendum fuisset. Pergo, & Pharios liquores, vnguenta expono quibus Aegyptij mortuos condiebant ne putrescerent. Cic. 1. Tusc. Diod. Sic lib. 1 antiq & alij. Qui mos etiam ho-
C die apud Orientales inualuit, & in funeribus nostrorum regum vsurpatus. Tales odores & in sepulchra iniiciebantur, cum rebus pretiosissimis. Chronicon Incolismēse de Carolo Magno. *Repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, balsamo & musco & thesauris multis in auro.* Vide Bernartium in Thebaidem lib 6 & Nicetam in Alex. Comneno lib. 1.

VESTES ET PECTORA RVMPIS. Mos funebris de quo Homerus in Iliade vbi in morte Patrocli feminæ.

——— *χερσὶ δὲ πᾶσαι*
στήθεα πεπλήγοντο. Petronius in Satyr.
Lacerauit vehementius pectus ruptósque
Crines super pectus iacentis imposuit.

Artemidorus, *γυναῖκες ἐν πένθει τοὺς μαζοὺς λωβῶνται.*

FRIGIDA LAMBIS OSCVLA. Tangit morem veterum quo propinqui vel amici morientem osculabantur, quasi exceptuti fugientem animam. Cic. in Verrem. *Filiorum suorum spiritum ore excipere liceret.* Virg. 4. Ænei.

——— *& extremus si quis super halitus errat*
ore legam.

Ouid. de morte Drusi.

At miseranda parens suprema nec oscula fixit.

IPSE PATER SENSVS. Sensus hic pro intelligentia & iudicio, quarum rerum vsus in pueritia tatus & stupendus. Sensus communis apud Quintil. li. 1. c. de recta pueri institutione ita accipitur pro vulgari & ingenita omnibus hominibus intelligentia: Item apud Iuuen. Sat. 8. A

Rarus enim fermè sensus communis in illa
Fortuna.

Quo magis miror Casaubonum, locum illum in Suetonianis obseruationibus interpretari de virtute ciuilitatis: Mens enim Iuuenalis est tota illa Satyra nobilitatem insectari & contemnere, ob ingenita & familiaria ipsi vitia, præsertim socordiam, quam ferè parit fortunæ sublimitas & rerum affluentia, vnde ait rarum esse in ea sensum communem, quem significare ciuilitatem non facile imponet vir ille doctissimus. Sententiæ Satyrici conuenit prouerbium illud Senecæ in apotheosi Claudiana, cui priscorum principum fatuitas & ignauia occasionem dedit. Sed hæc παρεργότερα. Vereor autem ne dum oscitationem magni viri demonstro, aliquis in me vsurpet illud Homericum,

Τὸν δ' ἄλλως ἑταῖρος ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχε χεῖρας.

REFRINGERE. Malo *Refingere*, quod verbum sententiæ magis conuenit. Vult enim Statius Lachesin monstrasse artes & verba reformasse pueri Glauciæ qui male vt id genus ætatis solet ea proferebat. Quam autem necessarium & frequens sit pueris verba sua refingere, nemo nescit nisi puer. At Geuartius retinet *Refringere*, & exponit, vocem extenuare, quasi opus esset infanti doctore aut magistra ad vocem extenuandam. Fortasse is sententiam atque expositionem suam refinget. B

ENORMES SINVS. Laxas vestes Domitius interpretatur. Sinus vestis pro tota veste hic & infrà.

NVNC HERBAS IMITANTE SINV. Viridem colorem intelligit, qui proprius herbarum. De hoc Martialis lib. 5. ep. 24.

Herbarum fucras imitatus Basse colores.

Herbidam pallam dixit Capella lib. 1.

SOLA VERECVNDO DEERAT PRAETEXTA PVDORI. Prætexta non dabatur libertinis, nec eorum filiis. Postea tamen istis cócessam fuisse si modo ex iusta matrefamilias nati essent, docet Macrob. 1 Saturn. Eam ob causam Glaucia non habebat ius prætextæ, quod his verbis indicatur, *Hac fortuna domus*. Nec verò Romanorum duntaxat sed Sybaritarum quoque pueris ius fuit prætextæ vsque ad pubertatem. Athenæus lib 12.

INIMICA LEVAVIT PARCA MANVS Ex hoc epitheto liquet errare Scaligerum qui in sua poetice Parcam à parcendo serò deducit. Si enim ita est cur inimica dicitur, cur Lachesis inuida apud Martialem lib. 10. epigr. 53. cur clotho abrumpere dicitur vitæ tempora apud Senecam in Claudiana apotheosi? & in Octauia actu . vt alia loca pene innumera omittam. At inquit, ex Parcis vna tantum (scilicet Atropos) abrumpit vitæ filum. Cæteræ nent. Quasi nere vitam apud Parcas aliud esset quam eius tempora dispensare, certosque & nulli transgrediendos præscribere terminos: vnde & ipsa Atropos nere dicitur in 4 Theb. C

——— *hos ferrea neuerat Annos*
Atropos.

Certe vir magnus qui Pædagogorum iudicium vbique aspernatur, non debuit aliquid comminisci quod triuialium Grammaticorum superaret affanias. Sed eum, opinor, famæ sublimitas à reprehensionis periculo vindicat. Non tamen continebo veram vocem. Omnia ferre possum: Superba quorumdam togatorum fastidia pati nequeo, qui bonarum artium professoribus insultant, quos in sympofiis ac circulis non nisi contemptissimo pædagogorum nomine solent designare. Vitium hoc est ætatis, cuius culpam scio nonnullis magistris posse imputari, quibus dispeream si quid est vilius aut humano commercio indignius, sed iniquum est ex vilitate paucorum vniuersos æstimare. Atque is contemptus tolerabilior forte videretur, si in viris militaribus aut palatinis duntaxat hæreret, sed ô rem ridiculam! ordo literatorum ab iis maxime despicitur, qui eruditi esse & audire cupiunt. Turpe putant docere quod videri volunt didicisse. Nimirum

hominès præpostere ambitiosi tum demum extrà numerum positi & aliquid palatinæ dignitatis redolere sibi videntur, si fatale & ingenitum nobilibus professorum fastidium
A imitentur. Miseri vineta cædunt sua,& vt Comici canes,allatrant suos.

θρέψας καὶ λυκιδεῖς, θρέψας κύνας ὥς σε φάγωντι.

Extra oleas,fateor,excurro,sed hanc mihi παρέκβασιν iusta indignatio dictauit.

GRATVM EST FATA TAMEN. Hunc locum integrum esse credit Geuartius non ego. Vult ille poëtam alloqui fata in hunc sensum O fata gratum est,quod non mors, &c.

Sed duriusculus esset hoc vocatiuo versus, nec ideo quid fuerit necesse Statio fata hic vocare. Coniicio archetypi scripturam hanc fuisse. *Attamen est gratum*, facile fuit imperitis olim exscriptoribus pro *Attamen* substituere *fata tamen*, deinde transponere & locis suis mouere voces illas quod nimis sæpe accidisse norunt Criticæ antistites. Vel sic lege *Grata huic fata tamen*, vt τὸ fata sit nominandi casus. Sic minimùm discedes à vestigiis communis scripturæ.

MANESQVE SVBIVIT INTEGER. Nimis tenuiter explicat hæc verba Geuartius, dum ait poëtam agere gratias ipsis fatis, quod Glaucias seruato vultus sui decore & pulchritudine ad plures migrauerit, idque illustrat veterum testimoniis quæ prius obseruauit Casaubonus in Suet Augustum. Sed vox *integer*, aliud quiddam sonat: opponitur enim
B mutilo propriè non deformi tantum. Et allusit Statius ad priscam superstitionem qua credebantur illi infeliciter mori qui trunco aut cruentato corpore decedebant, eorúmq; simulachra putabantur eadem vulnerum vestigia quibus deformari in vita fuerant post mortem perpetuò ferre. Exemplum in 2. Aeneidos de Hectore,& in 6. de Deiphobo.

CRINEM TENET INFERA IVNO. Scholiastes Euripidis, ὡς, inquit, ἔθος ὄντος τῶν θανάτῳ μελλόντων ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. Muretus in variis. Iuno infera est Proserpina hic & in 6. Aeneid.

QVOD CILICVM FLORES. In sepulchra flores & odores coniicere moris fuit. De odoribus infrà. flores sepulchri vocat Sophocles in Electra. D. Hieron. epist. ad Pammach. *Cæteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, purpureosque flores, vt dolorem pectoris his officiis consolentur.* Sic etiam hodie mortuis præsertim virginibus foras spectantibus serta & corollas superimponi videmus.

PHARIIQVE (PALAM EST) VIDIIQVE LIQVORES. Ita distinguit Rhodiginus lib. 17. antiq.& Vidios seu Vidos liquores exponit Syriacos ab vrbe Syriæ Vida. Qua de re quid sentiat Geuartius vide apud ipsum, simúlque rationem expende qua reprehendit Cælium. Si à Vida vrbe,inquit,epitheton tractum esset, non *Vidi*, sed *Vidij* liquores dicendum fuisset. Pergo, & Pharios liquores, vnguenta expono quibus Aegyptij mortuos
C condiebant ne putrescerent. Cic. 1. Tusc. Diod. Sic lib. 1. antiq & alij. Qui mos etiam hodie apud Orientales inualuit,& in funeribus nostrorum regum vsurpatus. Tales odores & in sepulchra iniiciebantur, cum rebus pretiosissimis. Chronicon Inculismese de Carolo Magno. *Repleuerunt sepulchrum eius aromatibus, balsamo & musco & thesauris multis in auro.* Vide Bernartium in Thebaidem lib 6 & Nicetam in Alex. Comneno lib. 1.

VESTES ET PECTORA RVMPIS. Mos funebris de quo Homerus in Iliade vbi in morte Patrocli feminæ.

——— χερσὶ δὲ πᾶσαι
στήθεα πεπλήγοντο.

Petronius in Satyr.

Lacerauit vehementius pectus ruptósque
Crines super pectus iacentis imposuit.

Artemidorus, γυναῖκες ἐν ταῖς θρήνοις τοὺς μαζοὺς λωβῶνται.

FRIGIDA LAMBIS OSCVLA. Tangit morem veterum quo propinqui vel amici morientem osculabantur, quasi excepturi fugientem animam. Cic. in Verrem. *Filiorum suorum spiritum ore excipere liceret.* Virg. 4. Æneid.

——— *& extremus si quis super halitus errat*
ore legam.

Ouid. de morte Drusi.

At miseranda parens suprema nec oscula fixit.

AD AMBRACIAS CONVERSA GYMNADE FRONDES. Omissa interpretatione Domitij puto notari ludos Actiacos, qui fortè eo anno sequuti fuerant ludos quinquennales Neapolis. Errat Turnebus lib. xi. aduers. c. 15. vbi ait hos ludos Actij fuisse trietericos. Imò fuere quinquennales ex instituto Augusti teste Suet. c. 18. & Mamertino in Panegyr. Iuliani, de quibus plura Scaliger in emendat. temp & in Chron. Eusebij. Frondes hic pro ludis metonymice: nam præmium in plerisque certaminibus erat corona foliacea, vnde vocantur in etymologico ἀγῶνες φυλλῖται καὶ φυλλοφόροι. Hinc Pind. Olymp. ode 8 agonas Olympicos χρυσοστεφάνους vocat, i. καλλιστεφάνους ob oleæ frondes præmia victorum, ait scholiastes. Tale erat certamen Actiacum, quod idcirco ὀλυμπικὸν ἀγῶνα καὶ στεφανίτην vocat Strabo lib. 7. vbi etiam docet Augustum Ambraciam aliásque vrbes in oppidum Nicopolim contraxisse, cui suffragatur Pausan 1. Eliac. Ἀμβρακιώτας καὶ Ἀνακτορίους ἀποίκους Κορινθίων ὄντας ἐπηγάγετο ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς ἐς Νικοπόλεως συνοικισμὸν πρὸς τῷ Ἀκτίῳ. Hinc patet cur per Ambracias frondes seu Ambracia certamina liceat Actia interpretari. B

GYMNADE. Delectatur hac voce Statius quæ gymnicum agonem significat, qualis in parte erat Ambracius seu Actiacus. Dio lib. 51. de Augusto ἀγῶνά τέ τινα καὶ μουσικὸν καὶ γυμνικὸν κατέδειξεν (omitto quædam quæ nihil ad rem præsentem) Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας.

GEMINA TESTVDINE. Duplex vaporiarum intelligit. Domitius.

RVRA TVETVR ALCIDES. Hercules cognomento Rusticus, de quo Lamprid. in Commodo. Sic infrà syluа 1. lib 3 dicitur agrestis Alcides. Idem & Syluanus in veterum monumentis.

EPHYRES BACCHEIDOS. Corinthus Ephyre dicta: Eadem Baccheis, quod Bacchiadæ eam tenuerunt. Domitius ex Strabone.

INTRANTESQVE DOMOS. Id est domos extructas inter saxa excisa, itâque ea quasi intrantes ac subeuntes, cum ante imperuia & inhospita essent, quò spectat illud proximè dictum. *Nunc cernè iugum discentia saxa.* Quid sibi hic velit Geuartius ignoro. Pugnat enim ipse secum, & hanc expositionem improbat quasi aliam daturus, quæ tamen penitus cum ista conuenit. Martialis de regia Domitiani lib. 8. cum dixit, C

Aethera sic intrat.

altitudinem ædificij voluit ostendere.

CERAEQVE AERISQVE FIGVRAS. Imagines è varia materia exprimebantur, frequentissimè ex ære aut cera. De æreis statuis Apul. 3. Florid. & Marcellinus lib. 14. *Quidam æternitati per statuas se commendari posse affirmantes, eas ardenter affectant quasi plus præmij ex figmentis æneis sensibus carentibus adepturi, quàm ex honeste rectèque factorum conscientia.* De cereis imaginibus alibi Statius in syluis, Plinius senior, Iuuenalis, Plinius iunior epist. 7. lib. 4. & Claudianus Panegyr. 3. in laudes Stiliconis.

ARMIGER HECTORIS. Misenus ex Virgil. 6. Æneid.

NESSIS. Commune insulæ nomen, huic terræ tributum, quæ tametsi à Cosmographis prætermissa sit, à Lucano tamen nominatur.

Tali spiramine Nesis
Emittit stygium nebulosis aëra saxis.

Domitius & Morellus in appendice scholiorum ad vocem *Taurubulæ*. Sed viri docti non animaduerterunt hoc nomen cuidam Campaniæ insulæ tribui à Plinio c. 8. lib. 19.

EVPLOEA. Insula est in sinu Puteolano dicta à prospera nauigatione. Felix enim est & fida

& fida statio carinis. Domitius. Euplœa etiam cognomentum est Veneris. Lilius Syntagm.13.

A MEGALIA. Nomen prædij cuiusdam à Pollio possessi. Vide Domitium.

LIMEN. Nomen alterius prædij eiusdem Pollij à portu dicti. Vel fortè *Limon*, quæ dictio græcè pratum significat. Domitius.

DIAETIS. Nomen πολύσημον *diæta*, frequentius tamen mansionem aliquam significat, præcipuè cubiculum aut cœnationem. Imò quædam diætæ capaciores erant, & plura cubicula complectebantur. Plin. epist. 6. libr. 5. *Hac adenntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, vt circuit Sol, aut sole vtuntur aut vmbra.* Sic diæta magistri nauis est ipsius cubile apud Petronium. Et hinc fortè diætarij apud Vlpian. l. 1 ff. Nautæ caup. stab. dicuntur qui nauibus custodiæ causa præponuntur. At in glossis διαιτάριος & διαιτάρχης est atriensis, vnde colligimus atrium quoque ea voce interdum significari, quia scilicet in atrio veteres epulabantur, vt docet Seruius in 1. Æneid. Denique Zeta interdum scribitur pro diæta, vt apud Plinium multi legunt loco citato. Quin etiam nominis etymon repetunt non ἀπὸ τοῦ διαιτᾶν, sed ἀπὸ τοῦ ζῆν, leui mutatione literarum, quasi Zetam.

GRATA PROBAS. Geuartius legit. *Grata.* me non plaudente. malè etiam reprehendit infra Domitium, per ambos dominos Pollium & generum ipsius interpretantem, putâtque intelligi Herculem & Neptunum villæ Surrentinæ præsides & tutelares deos, quasi nullum discrimen esset inter dominum cuiuslibet rei & vindicem eiusdem aut tutelam. Scriptores dominum domus appellare solent non larem eius custodem, sed possessorem. At nusquam ait Geuartius, toto carmine Menecratis fit mentio. Quid tum? an necesse fuit generi nomen exprimere eum tota hæc sylua ad soceri laudem præcipuè referatur. Sed Menecratem quoque poëta in animo

B habuisse palam videtur, cum nurus Pollæ & concordiæ coniugalis infra meminerit. Malim nihilominus τὸ *Dominis ambobus* de Pollio & Polla eius filia interpretari: nam & huic fœminæ occasione parentis blanditur, & ab ea in villam testatur pariter se inuitatum. Liberos autem dominos paternæ domus appellari nemo mirabitur qui sciat hæredem antiquis dominum significare. Festus libr. 8. Ideo Statius ipse libr. 4. sylu. 8. tres Menecratis liberos apertè dominos ipsius domus vocat.

——— Dulci tremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus.

vnde nostra hæc interpretatio fit clarior.

C AVLA TIRINTHIA. Herculaneum seu Heraclium, Campaniæ oppidum de quo Strabo lib. 5. Ibi prædium habuit Pollius. Domitius.

VIVE MIDAS GASIS. Auspicatum hoc verbum Viue in gratulationibus & bonis ominibus solenne. Tibullus.

Viue diu mihi dulcis anus

Virgil. lib. 3.

Viuite felices quibus est fortuna peracta
Iam sua.

ABIRE PARATVM. Abire est mori. Abitionem pro morte vide apud Festum lib. 1.

PLENVM VITA. Quem intelligat plenum vita satis indicat verbis superioribus per antithesin oppositis. Te inquit, mors non deprehendet in turbine rerum, id est, fluctuantem distractúmque publicis priuatísque negotiis, sed plenum vita, nempe curarum omnium spei ac timoris expertem, & summa mentis tranquillitate potitum. Quasi is demum viuere dicatur qui cæteris rebus posthabitis quibus mortalium genus mancipatur, animum suum excolit & vni sapientiæ studio totus vacat: quam in sententiam multa passim Seneca præsertim libr. de breuitate vitæ. Potest &

G

& fida statio carinis. Domitius, Euplœa etiam cognomentum est Veneris. Lilius Syntagm.13.

A MEGALIA. Nomen prædij cuiusdam à Pollio possessi. Vide Domitium.

LIMEN. Nomen alterius prædij eiusdem Pollij à portu dicti. Vel fortè *Limon*, quæ dictio græcè pratum significat. Domitius.

DIAETIS. Nomen πολύσημον diæta, frequentius tamen mansionem aliquam significat, præcipuè cubiculum aut cœnationem. Imò quædam diætæ capaciores erant, & plura cubicula complectebantur. Plin. epist. 6. libr. 5. *Hac adeuntur diætæ duæ, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, vt circuit Sol, aut sole vtuntur aut vmbra.* Sic diæta magistri nauis est ipsius cubile apud Petronium. Et hinc fortè diætarij apud Vlpian. l. 1 ff. Nautæ caup. stab. dicuntur qui nauibus custodiæ causa præponuntur. At in glossis διαιτάριοι & διαιτάρχαι est atriensis, vnde colligimus atrium quoque ea voce interdum significari, quia scilicet in atrio veteres epulabantur, vt docet Seruius in 1. Æneid. Denique Zeta interdum scribitur pro diæta, vt apud Plinium multi legunt loco citato. Quin etiam nominis etymon repetunt non ἀπὸ τοῦ διαιτᾶν, sed ἀπὸ τοῦ ζῆν, leui mutatione literarum, quasi Zetam.

GRATA PROBAS. Geuartius legit. *Grata*, me non plaudente. malè etiam reprehendit infra Domitium, per ambos dominos Pollium & generum ipsius interpretantem, putátque intelligi Herculem & Neptunum villæ Surrentinæ præsides & tutelares deos, quasi nullum discrimen esset inter dominum cuiuslibet rei & vindicem eiusdem aut tutelam. Scriptores dominum domus appellare solent non larem eius custodem, sed possessorem. At nusquam ait Geuartius, toto carmine Menecratis fit mentio. Quid tum? an necesse fuit generi nomen exprimere cum tota hæc sylua ad soceri laudem præcipuè referatur. Sed Menecratem quoque poëta in animo habuisse palam videtur, cum nurus Pollæ & concordiæ coniugalis infra meminerit. Malim nihilominus τὸ *Dominis ambobus* de Pollio & Polla eius filia interpretari: nam & huic fœminæ occasione parentis blanditur, & ab ea in villam testatur pariter se inuitatum. Liberos autem dominos paternæ domus appellari nemo mirabitur qui sciat hæredem antiquis dominum significare. Festus libr. 8. Ideo Statius ipse libr. 4. sylu. 8. tres Menecratis liberos apertè dominos ipsius domus vocat.

B

——— Dulci tremit ecce tumultu
Tot dominis clamata domus.

vnde nostra hæc interpretatio fit clarior.

C AVLA TIRINTHIA. Herculaneum seu Heraclium, Campaniæ oppidum de quo Strabo lib.5. Ibi prædium habuit Pollius. Domitius.

VIVE MIDAE GASIS. Auspicatum hoc verbum Viue in gratulationibus & bonis ominibus solenne. Tibullus.

Viue diu mihi dulcis anus

Virgil.lib.3.

Viuite felices quibus est fortuna peracta
Iam sua.

ABIRE PARATVM. Abire est mori. Abitionem pro morte vide apud Festum lib.1.

PLENVM VITA. Quem intelligat plenum vita satis indicat verbis superioribus per antithesin oppositis. Te inquit, mors non deprehendet in turbine rerum, id est, fluctuantem distractúmque publicis priuatísque negotiis, sed plenum vita, nempe curarum omnium spei ac timoris expertem, & summa mentis tranquillitate potitum. Quasi is demum viuere dicatur qui cæteris rebus posthabitis quibus mortalium genus mancipatur, animum suum excolit & vni sapientiæ studio totus vacat: quam in sententiam multa passim Seneca præsertim libr. de breuitate vitæ. Potest &

plenus vita exponi satiatus, cui sententiæ fauent illa præcedentia *Abire paratum.* Plenum se vita testabatur Cæsar, cum aiebat se satis vixisse vt in orat. pro Marcello. Item Cicero Phil. 1. *Mihi, inquit, satis est quod vixi vel ad ætatem vel ad gloriam.* Adde pro auctario illud aureum dictum apud eundem 5. Tuscul. *Vnus dies eruditorum longissima imperitorum vita est præferendus.* A

DISSONA NECTIT CARMINA. Vel elegiacos versus expone, qui ob alternantem numerum diuersè sonant, vel strophas & antistrophas lyricorum vt sentit Geuartius.

PLECTRIQVE ERRORE. Non malè Domitius hoc retulit ad citharæ pulsationem in qua plectrum errat & vagatur, nec alius error hic intelligitur. Sed alterius generis est error Geuartij qui putat plectra Lyricis propriè tantum tribui, cum Statius de Elegiographo Stella ita canat. Syl. 2.

Hic tibi (Veneri) plectra dedit, mitísque incedere vates
Maluit, & nostra laurum subtexere myrto.

EXPOSITI CENSVS. Magna laus liberalis animi & munifici, quam Attico tribuit Cornelius Nepos. Sed pauci in hoc numero. Contra apud inferos inquit poëta B

Sunt qui diuitijs soli incubuere repertis
Nec partem posuere suis quæ maxima turba est.

IN ARBOREM MELIORIS ATEDII.

Synopsis.

LVxuriat in descriptione huius arboris, poëtica licentia fingens eam à Pane satam & exultam dum fugientem nympham amoris œstro concitus persequeretur. Subiungit laudem possessoris eique bene precatur. Simili figmento lusit in platanum Cordubensem Martialis lib. 9. C

STAT Martialis loco citato.

Aedibus in mediis totos amplexa penates
Stat platanus densis Cæsariana comis.

NITIDI MELIORIS. Diuinat Geuartius cum ex hoc Statij loco & ex Martiale affirmat Nitidum fuisse cognomentum Atedij Melioris. Quæ profectò testimonia id tantùm ostendunt summam fuisse istius hominis elegantiam.

ADVERTIT DIANA GRADVS. Aduertere idem quod obuertere, & aliquò recta tendere: quo sensu Virgil. dixit in 6.

Cæruleam aduertit puppim.

Interdum sed rarius est commonefacere, vt apud Tacitum in Annal. *Aduertere Imperatorem.* Galli dicerent. *Cela fit penser le Prince, cela le fit songer.* Vide Lips. in Tacitum.

IMMITEM BROMIVM. Scaliger legit. *Immitem Brimo*. Vide eum in Propertium & Turnebum lib. 11. aduers.

OPTATISQVE ASPERGIT AQVIS. Non modo aquis, sed & mero & vnguento hæ ar-

bores per delitias asperguntur. De mero Martialis in Platano illa Cordubensi.

Creuit & effuso latior vmbra mero.

A De vnguento Theocritus Idyll.18.

πρᾶται δ' ἀργυρέας ἐξ ὄλπιδος ὑγρὸν ἄλειφαρ
λαζόμεναι σταξεῦμες ὑπὸ σκιερὰν πλατάνιστον.

TALIA MANDAT. In arboribus amores & affectus suos inscribebant, vt apud Virg. Ecl.10. Nemesianum. Ecl.1. Ouid. in epist. Oenones, Theocritum Idyll.18.

NOSTRAE PINVS. Pan coronatur pinu Ouid.14. Met.

——— *Pinu præcincti cornua Panes.*

Propert. lib.1.

Fagus & Arcadio pinus amata deo.

ET SECRETE PALAM. Suam sibi correctionem habeat Geuartius, qui ita legit.

Exsatiate palam, qui digeris ordine vitam.

& exsatiatum exponit, plenum vita. Quæ interpretatio & abunde verbis Statij refutatur & mutila imperfectáque est: non enim explicat, quid sit palam exsatiatus, quæ duo verba nullo sensu huic loco possunt adaptari. Vulgata igitur lectio mihi proba, & secre-
B tum palam ipsius poëtæ verbis interpretor, nullos expertum tumultus in publicarum rerum administratione, quique in otio cum dignitate vel in negotio sine periculo sit versatus. Qua in re apicem humanæ felicitatis collocat Cicero initio 1. de orat. Qui hoc vitæ temperamentum assequutus est, elegantissimè dicitur palam secretus locutione ex contrariis rebus constante, qualem vsurpant sæpius oratores ac poëtæ ad sententiarum acumen atque ornatum, vt noster supra *Cui nec pigra quies*, & rursus: *Hilarisque, tamen cum pondere, virtus.* Quæ satis expositionem hanc fulciunt. Potest & versus ita distingui. *Et secrete, palam qui &c.* Cæterum vitam ordine digerere, est certis horis certos actus destinare, quod factitant viri principes, vt in historiis Imperatorum videre licet. Sed illustre exemplum imprimis est Theodorici apud Sidonium epist.2. lib.1. & Spurinæ apud Plin. epist.1. lib.3. *Nihil*, inquit, *illo vitæ genere distinctius, me autem vt certus siderum cursus ita vita hominum disposita delectat, Senum præsertim.* Lege Suetonium in Augusto & Tib. & Vespasian. Item Lampridium in Alexandro.

QVOS PATER ELYSIO. Elysium philosophi & poëtæ interdum pro Insulis fortunatis accipiunt. Seruius in 5. Aeneid. vbi victus facilis, longa ætas & iucunda, Homero teste Odyss.δ.

C *τῇ πὲρ ῥηΐστη βιότη πέλει ἀνθρώποισι.*

GENITRIX QVOS DETVLIT ANNOS. Nomen genitricis, Auroræ sine vllo adiuncto tribuitur, hic & apud Ouid. 6. Fast.

Hac ibi luce ferunt Matutæ sacra parenti.

Et mater Matuta apud Festum lib.12. Matuta autem est Aurora. Precatur amico Statius viridem Titoni senectutem, & longos annos.

A

IN PSITTACVM.

SYNOPSIS.

FVnebris hæc laudatio Psittaci, quem deplorat ab interitu repentino, à voce canora, humanæque linguæ æmula: vnde ad canendam eius næniam inuitat similes aues, denique honorem eius rogo habitum fuisse testatur.

PSITTACE DVX VOLVCRVM. Hoc epitheton magis conueniat aquilæ, sed tamen Psittaco tribuitur ob humanæ linguæ imitationem, qua cæteris animantibus longè præstat, eandémque ob causam sacra illa auis apud Indos. Aelianus lib. 13. Hist. anim. c. 18.

RAPETITA VOCABVLA PERDIX. Hæc auis κακκαβίζει, vt ex Aristotele notauit Baptista Pius, eam ob rem diei potest repetere vocabula. Tamen Sabellicus putat legendum *Cornix*, quia perdix, inquit, humanam vocem vix effingit. Verum idem potest obiici de cornice, cuius confusa est non articulata garrulitas. Deinde hic Statius enumerat aues quouis modo vocales, non dociles duntaxat. Denique perdix cantu valet teste Aeliano c. 13. lib. 4. B

STVRNVS. Sturnum articulate loqui didicisse more humano, itémque lusciniam disces ex Plinio c. 42. lib. x. & ex appendice ad Philen Carm. 4.

QVERVLAE IAM SPONTE FORES. Hyberbole poëtica, fores iam factæ vocales non personant amplius voce psittaci, sed proprium sonum edunt doloris sui indicem. Politianus. sponte fit quod sine aliena ope perficitur.

NEC QVAS HVMENTI NVMIDAE. Gallinas Numidicas quæ Meleagrides dictæ Plin. lib. x. c. 48. Acto apud Horatium Ode 2. Epod. Afram auem exponit Gallinam Numidicam.

PLAGAE REGNATOR EOAE, Indiæ. Nam Psittacus auis Indica Apul. 2. Florid. Plinius & Aelianus locis supra citatis.

NON INGLORIVS VMBRIS MITTITVR. De Phœnicis funere cuius hic meminit Statius vide præter naturæ mystas Claudianum in poëmate singulari: & de coruo illo Tiberiano lege similia apud Plin. c. 43 lib. x. C

IN LEONEM MANSVETVM.

SYNOPSIS.

IN spectaculis venationum occisus fuerat leo cicuratus, cuius necem pop. Rom. & Imperator ipse ingemuerant. Hinc nata occasio huius Syluæ. De eodem leone extat Martialis epigramma 51. lib 8.

INFELIX CAVEA. In Amphitheatro caueæ erant lapideæ quibus feræ ad venationem destinatæ includebantur. Herodianus in Comm. ὑπόγεια vocat. Eædem portis obstrue-

bantur ferreis aut ligneis ne feræ exilirent Clathros caueæ vocat Horat. in art. poët. sub
A finem. Alterius generis erant caueæ quibus aues includebantur, de quibus supra illo versu.

Connexusque ebori virgarum argenteus ordo.

Quæ nihil ad spectacula Amphitheatri. Caueam ferarum vocat δεξαμενὴν Xiphilinus in Seuero. Denique tota Amphitheatralis area, cauea etiam appellatur vt iam notatum.

CARDINE APERTO. Cardo metonymicè pro porta.

INGEMVERE MORI. Pop. Rom. in feras sæpe misericors. Plin. libr. 8. c. 7. *Annibal vnum* (captiuum) *qui supererat obiecit elephanto & illum dimitti pactus si interemisset solus in arena congressus magno Pœnorum dolore confecit.* Cic. ep. 1. lib. 7. *Elephantorum extremus dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turba delectatio nulla extitit, quin etiam misericordia quadam consequuta est atque opinio eiusmodi esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem.*

VENABVLA. Venabulum hasta oblongior à venatu dictum. Latum ei ferrum vt in 4. Æneid. Propterea latum ferrum dicitur. Sen. in Hippol. actu. 1. sc. 1.

B

IN EPICEDION PILETI VRSI.

SYNOPSIS.

NEgat pudendas esse Vrso lacrymas in morte famuli Pileti, cum equos, aues & cætera animalia multis lugere contingat, deinde in defuncti laudes paulisper excurrit & ipsius iacturam exaggerat ab incredibili dolore domini qui tale damnum quolibet fortunarum suarum dispendio permutare cuperet, postremò consolationem adiungit.

SAEVE NIMIS. Cic. in Pisonem. *Quis hoc fecit vlla in Scythia tyrannus vt quos dolore afficeret lugere non sineret?* Seneca in Troade.

Non est lacrymis Cassandra modus
C *Quia quæ patimur spreuere modum.*

Conuenit historia impotentiæ Tryzi apud Ælianum lib. 14. var. Hist. c. 22. Diximus ad illud, *Iam flendi expleta voluptas.*

SVRGENTESQVE NEFAS ACCENDERE NATOS. Violatur lex naturæ vbi parens liberos componit, aut senex iuniorem. D. Hieron. in epit. Nepot. *En rerum in nobis ordo mutatus est & in calamitatem nostram perdidit sua iura natura Quod senibus exhibere iuuenis debuit nos iuueni exhibemus senes.*

NEC PECTORA NOVIT. Ita rectè legas non *Mouit*. Quod pectora non nouit fortuna ascribendum est eius cæcitati.

DEISQVE SI TAM DVRA PLACENT. Locum hunc obscurissimum putat Geuartius cum nullus sit in toto syluarum opere facilior: Simplex enim est interpretatio in hunc modum. Gemis ô Vrse si diis tam dura placent tuum famulum. Nota est vis huius formulæ *si diis placet*, quæ Statij sententiæ conuenit. At quam interpretationem ille obtrudit! Ego, inquit, retenta parenthesi malo dicere Aposiopesin hic latere. Incitat enim Vrsum ad dolendum, hortaturque vt frænos dolori laxet & Deos accuset, quod puerum tàm egregium adeò immatura morte abstulerint. Itaque cum ait *Deisque* subaudi conuitia inferas aut quid simile Hæc ipsissima verba Geuartij. Pergit deinde. Vel lege, ait, *Deosque*. Deos rumpe, id est, deorum inuidiam contemne vel fortiter feras. Siccine rumpi Deos? Absit. Parenthesin arbitror necessariam non hoc loco vt putat Geuartius, sed ab illis verbis

Ne comprime fletus. vsque ad τὸ *Desique.* Sic igitur distingues.

Sed famulum gemis Vrse pium, sed amore fideque
Has meritum lacrymas, cui maior stemmate iuncto
Libertas ex mente fuit (ne comprime fletus
Ne pudeat, rumpat frenos dolor iste) desique
Si tam dura placent, hominem gemis, &c.

Quid clarius hac distinctione, quid ad mentem poëtæ aptius?

MAIOR LIBERTAS EX MENTE FVIT. Stoicorum dogma, veram libertatem in sola animi tranquillitate collocari, qua de re Cic. in Parad. Persius Satyr. 5. Seneca passim. Ideò Crates abiectis diuitiis se manumitti clamabat. Apuleius lib. 2. Floridorum.

A

HOMINEM TVVM. Homo pro seruo vt hic & sæpe apud iurisccos. Et apud Catullum epigram. 10. ad lecticam homines, sunt serui lecticarij. Galli suo idiotismo ita etiam loquuntur.

ET VOLVCRES HABVERE ROGVM. vt Psittacus Melioris, & coruus de quo supra ex Plinio lib. 10.

BELLA CANENTEM. Tutius est ita legere quam *Cauentem.*

PARTHENOPAEVS. De huius pulchritudine multa Statius in Theb.

AT DOMINI FLETVS. In Cod. Senensi legi notant, *Et Domini.* B

NEC QVOD TIBI SETIA CANOS RESTINXIT CINERES. Vinum Setinum in Pileti cineres effusum fuerat de more antiquo. Nam Troiani in funere Miseni 6. Aeneid.

Reliquias vino & bibulam lauere fauillam.

Iidemque in funere Hectoris Iliad. ω

πρῶτον μὲν κατὰ πυρκαϊὴν σβέσαν αἴθοπι οἴνῳ
πᾶσαν, ὁπόσσον ἐπέσχε πυρὸς μένος.

Sic Græci in funere Patrocli Iliad. ψ. At veteri lege Romanis id vetitum.

ACCEPTIVS VMBRIS QVAM GEMITVS. Achilles suos Myrmidonas ita hortatur Iliad. ψ

Πάτροκλον κλαίωμεν, ὃ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.

Verum aduersari sibi videtur Statius. Hic enim ait nihil esse acceptius vmbris gemitu, & mox inquit,

Quid charam crucias tam sæuis luctibus vmbram.

Sed aliud est gemitus, aliud sæuus luctus. Ille præter lacrymas nihil fere habet, hic vero dolorem immoderatum & cruciatum corporis, puta lacerationem crinium, genarumque significat, quo genere luctus manes propinquorum & amicorum offendi putabantur. Propinquorum, inquam, & amicorum, nam extraneorum cruciatu ac sanguine manes placari antiquarij norunt. Itaque prudenter Statius adiunxit vmbræ epitheton *Charam*, vt significaret læsum iri Piletum nimio luctu domini amicissimi, qui eam ob rem non debet in se vltra lacrymas sæuire. Eodem spectat illud Tibulli eleg. 1. C

Tu manes ne læde meos sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.

Lacrymas autem propinquorum vmbris gratissimas esse confirmat Statius in Lac. Hetr.

Felix & nimium felix ploratatque nato
Vmbra venit.

Hinc Solon apud Cic. 1. Tuscul.

——— *linquamus amicis*
Mœrorem, vt celebrent funera cum gemitu.

SED ET IPSE IVVAT. Lego *Iuua.* Sensus apertus. Nihil quidem acceptius vmbris quam gemitus, sed tamen tu eas Vrse pro virili iuua, i. subleua, dolori resistendo, ne charam Pileti vmbram nimio luctu offendas. Huic lectioni fauent verba sequentia, *Quid terga dolori Vrse damus, &c.* Quod si quis tuetur τὸ *Iuuat*, idque de Pileto exponat, per me licebit, neque enim adeo sum Suffenus, vt meas coniecturas eruditorum authoritati anteponam.

FORSAN ET IPSE DABIT. Alium forte Piletum sui similem, tibi mittet ab Elysiis. Sumptum ex doctrina Pythagoræ & Platonis de qua Virgilius in 6. Aeneid.

A

IN GENETHLIACON LVCANI

SYNOPSIS.

Lvcani licet mortui canit genethliacon occasione natalis eius quem nuper celebrauerat. Poëtas omnes & amicos poëtarū inuitat præcipue Musas, quarum præstantissimam Calliopen induxit inter genitalia omina, poëticæ facultatis gloriam ipsi vaticinantem, necnon & mortem immaturam quam nefariaNeronis crudelitate est subiturus. Prosopopoeiam sequitur Apostrophe ad defuncti vmbram cui fortunatas Elysij sedes & beatorum consortium gratulatur, Pollam denique vxorem ab affectu coniugali commendat. Poëtarum illustrium natales celebrari solitos testatur historia Silij Italici apud Plin. lib. 3. epist.

B

ISTHMIAE DIONES. In Acrocorintho Veneris templum fuit, vnde Corinthum vrbem Veneris vocat Euripides apud Strab. lib. 8. ideoque Dione Isthmia hic vocatur. Vide Pausan. lib. 2. Proximus illi templo fuit Pirenes fons Musis sacer, quem Statius periphrasi etiam describit.

HYANTIAE SORORES. Musæ quæ sorores Hyantiæ dicuntur ab hyantibus Bœotiæ populis de quibus Strabo libr. 7. Bœotos Hyantas antiqui dixere. Plin. lib. 4. c. 7. Musæ enim in Bœotia natæ. Hyantæam aquam pro Hippocrene notauit Turn. lib. 2. aduers. Ego hyantias camœnas obseruaui apud Sidonium lib. 8. epist. 9.

Quid Cyrrham vel hyantias camœnas
Quid doctos Heliconidum liquores.

& Carm. 9.

Tum Phoebum vel Hyantias puellas.

CHORI SACERDOS. Poëtæ sacerdotes dicti, vt ex Virgilio Horatio & Propertio constat.

C

VASTRA EST ISTA DIES. Quasi Musæ vna cum Lucano natæ viderentur, hic enim est sensus huius locutionis. Prisci natales suos appellabant dies omnes quibus insignis aliqua prosperitas sibi contigisset, vt alibi dictum.

VNCTIS BAETICA TRAPETIS. Bæticam oliuiferam esse docet Geographus & Martialis non semel. Trapetum est mola olearia, ἀπὸ τοῦ τρέπειν quod circumagatur.

ET SI QVA PATET AVT DIEM RECEPIT Statius lib. 5. sylu.

Et magno tumulum prætexere luco.

Virgil. in Epicedio Daphnidis,

Spargite humum foliis, inducite frondibus vmbras.

Tumuli enim arboribus circumpositis obscurabantur, vt antea dictum, quod vmbræ & obscuritate manes delectari putabantur.

GALLIONEM. Senecæ fratrem, cui lenitatem in dicendo tribuit Quintilianus. Nisi forte Iunius Gallio pater ipsius adoptiuus intelligitur, cuius meminit author dialogi de oratoribus. Vide Lipsium initio Electorum.

CALLIOPE SINV RECEPIT. Bono omine. Dissimili Megæra Rufinum excipit apud Claudi. lib. 1. & Eumenides Ibin apud Ouidium.

GETICAS ORNOS. Thracias. Nam Getæ gens Thracica Strabo lib. 7. Allusio ad fabulam Orphei.

CARMEN TOGATVM. Poëma Romanum, & de rebus Romanis. Sic togatæ comœdiæ in quibus res & personæ Romanæ induceuntur. Scaliger in Festum

INGRATVS NERO DVLCIBVS THEATRIS ET NOSTER TIBI, &c. Ingratior hic Nerone Geuartius cum sua interpretatione, quam referre non est animus nec refellere. Non placet etiam coniectura Heinsij sic emendantis sequentem versum apud eundem,

Nec noster tibi præfertur Or, &c.

Inconcinna enim esset in sententia minime interrupta transitio ab affirmatione ad negationem. Quapropter nihil mutandum censeo & Calliopes verba sic explico In dulcibus theatris Nero ingratus tibi præfertur: per dulcia theatra intelligit metonymicè carmina, quæ ad citharam canuntur, qualia Nero & antiquissimus poëtarum Orpheus modulari solebant, dulciaque dicuntur ob suauitatem concentus, quam imprimis illi aucupabantur ex dulcedine suæ vocis aut citharæ, & opponuntur hic carminibus Lucani altum quiddam & vere Romanum potius quam dulce spirantibus, vnde supra dixit,

Carmen fortior exeris togatum.

Mox infrà.

Et Pharsalica bella detonabis, &c.

Significat ergo Calliope Lucanum in molliculo genere poëmatis vtcunque posthabitum iri Orpheo & Neroni, non in alio sublimiore, quo nimirum bella & prælia canûtur. Huius enim carminis palmam aduersus omnes poëtas etiam Maronem ipsum referet. Viri eruditi cum oscitanter legissent hæc verba *Dulcibus theatris*, mentem Statij assequi non potuerunt. De insano Neronis in Musicam studio Suetonius, Dio, & Tacitus. Valde etiam ridicula est Bernartij interpretatio, cui frustra quærit à magno Lipsio patrocinium.

CVLMINIBVS REMI. Romæ quæ à Remo condita & nominata est vt nonnullis placet. Seruius in Aeneid.

O NVNQVAM DATA FESTA LONGA SVMMIS. Huc spectat illud Lucani,

summisque negatum
Stare diu.

Vide Senecam initio Controuersiarum. Consonat illud Apuleij 2. Florid. *O celeres bonorum hominum dies! O præfidum optimorum citata curricula!*

PER FRETA DVXIT ARGONAVTAS. Varro Atacinus hic notatur, vt putat Domitius. Ille enim Argonautica scripsit. Potest intelligi & Valer. Flaccus, qui circa Statij tempora floruit, & in eodem argumento versatus est. Vtriusque meminit Quintilianus, & ex eo Crinitus lib. 2. & 4. de poëtis Latinis. Malim tamen exponere hic Varronem Atacinum: dicitur autem per freta duxisse Argonautas, quia poëtæ id agere dicuntur quod describunt, vt Virgil. 1. Aeneidos.

—— egressus syluis vicina coegi
Vt quamuis auido parerent arua colono.

Martialis epig. ad Silium Italicum.

Qui periura barbari furoris
Ingenti premis ore perfidosque
Fastus Annibalis leuesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis.

Sexcenta sunt huius generis exempla.

ANIMAE POTENTIORES. Magnæ animæ vocantur Tacito sub finem Agricolæ. Diuinæ Cic. 2. de legibus.

SEV PACIS MERITVM. Non contemnenda emendatio Heinsij apud Geuartium.

Seu pacis meritum nemus recludo.

Sed neque merita defraudandus laude Geuartius, qui sequentes versus ita distinguit.

Stratis penitet, Incubatque somno
Secure. Procul hinc abite mortes.

Bene meo animo; Nisi præferenda est coniectura Heinsij apud eundem. *Sint curæ procul, &c.*

VVLTVS

VVLTVS QVI SIMILI NOTATVS AVRO. Eadem solatia sibi quærit Laodamia ex imagine sui Protesilai apud Ouidium in epist. Heroidum.

AD NVPTAS REDEVNTIBVS MARITIS. Nota fabulam Protesilai & Laodamiæ vxoris de qua Claudianus in laudibus Serenæ. & Higinus Fab. 103. & 104. Nec solus ille ab inferis ad nuptam rediit sed præterea Osiris. Diod. Sic. lib. 2. antiq.

IN EPIST. LIB. III.

HIS VERSIBVS ADORAVI. Adorare interdum est compellare & salutare vt sæpe apud Apuleium, præsertim lib. 2. Mil. *Accusator quidam senior exurgit, & populum sic adorat.* Noster infra epist. lib. 4. *Consulatum adorans*: de hoc verbo fusè Muretus in variis.

VERIS LVGERENT LACRYMIS. His opponuntur falsæ lacrymæ de quibus Catullus in coma & iussæ apud Martialem epig. in Gelliam, & non sponte cadentes apud Lucanum vbi de Cæsare.

GEMMATA PYXIDE. Morem hunc condendi & consecrandi capillos docet Lucianus
B. de dea Syria, τοὺς πλοκάμους ἐπεὰν ἐν τῷ ἱερῷ γένωνται ταμεῦσί τε, καὶ ἐς ἄγγεα καταθέντες, οἱ μὲν ἀργύρεα, πολλοὶ δὲ χρύσεα ἐν τῷ νηῷ προσηλώσαντες, ἀπίασι, ἐπιγράψαντες ἕκαστοι τὰ ὀνόματα. Sed barbam præcipuè ita consecrabant. Xiphilinus & Suet. in Nerone Petronius in Sat. *Pixis aurea in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.*

IN HERCVLEM SVRRENTINVM.

SYNOPSIS.

SVrrentinam Pollij villam suprà laudauit, nunc eiusdem hominis magnificentiam extollit in extruendo, vel instaurando potius Herculis templo quod angustum antea & humile ad summam amplitudinem insigni liberalitate perduxit, institutis etiam in illius dei honorem solennibus ludis. Cuius numine inuocato causas & exordia noui operis
C eiusmodi narrat. Cum Pollius vna cum Statio aliisque comitibus Dianæ Festum genialiter celebraret, & sub arboribus parulis æstate præcipiti vmbras frigoraque captaret, repente obscurari cœlum & magna vis imbrium cœpit ingruere, cui vitandæ in proximam Herculis ædiculam diffugere omnes coacti sunt, sed cum tantam multitudinem angustiæ loci non caperent, risit ipse Hercules, admonuitque Pollium vt sibi laxiorem ędem extrueret neque asperitate loci aut difficultate deterreretur: Se enim futurum auxiliatorem. Paruit iussis Dei libens Pollius, & rupibus non sine diuina ope & humana admiratione excisis superbum templum ædificauit Herculi Surrentino, qui huic Pollij pietati æternæ fœlicitatis præmium pollicetur. Simili occasione Plinius in prædiis suis ædem Cereris instaurauit vt narrat epist. 39. lib. 9.

TAEDIS LVSTRATVS HONESTIS TONIS. Hercules in Oeta combustus quasi igne lustratus videtur, à corporis scilicet contagio purgatus, mortalitatis lege solutus. In lustratione ignis fere adhibitus. Varro apud Charisium. Persij interpres Sat. 1. Clemens Alex. li. 7. Strom. De hac lustratione Herculis Seneca in Oetæo & Theocritus Idyll. 25. & Ouid. lib. 9. Metamor.

SVNT FATA DEVM. Plut. de orac. def. Martianus Capella. *Panes, Fauni, Satyri, Syluani, Nymphæ, fatui fatuaeque à quibus fana dicta, hi omnes post prolixum æuum moriuntur.* Vide Pausan. in Phocicis.

H

IVVENVM SINE CAESTIBVS IRAE. Cæstus laminæ erant æreæ, quæ manibus ac brachiis pugilum aut athletarum loris quibusdam alligabātur vt pondere & soliditate ferirent. Pugiles tamen sæpe pugnis tantùm certabant & à pugno dicti sunt. Mercurialis lib. 2. gymnasticæ. At Turnebus li. 14. cestus ait fuisse lora, quibus manus pugilum tanquam chirothecis muniebantur ad validiorem ictum. A

EXANIMATA DOLERES. Exprimit indolem Herculis qui occisis serpentibus præreptam sibi gloriæ segetem ac materiam ingemiscebat. Id vero generosissimo cuique vsuuenit, vt Cæsari qui apud Lucanum lib. 3. inquit.

Ventus vt amittit vires nisi robore densæ
Occurrent syluæ spatio diffusus inani:
Vtque perit calidus nullis obstantibus ignis,
Sic hostes mihi deesse nocet.

Et puer Ascanius in 4. Æneid.

Optat aprum aut fuluum descendere monte leonem.

Quid verò mirum Herculem ab incunabulis dedisse hæc signa generositatis? Certè longe magis decuit tantum Heroëm dolere oppressos hostes quam collusores. Hinc corruit Geuartij interpretatio de draconibus cicuratis, qui nihil ad hunc locum. Fortasse autem Statius fingit Herculem exanimata illa monstra doluisse vt miserationem pueris ingenitam etiam in feras mortuas innueret De hac fabula Theocritus Idyll. 25. B

FVMAT ARICINVM TRIVIAE NEMVS. De his sacris Aricinæ Dianæ. Suet in Calig. Val. Flaccus lib. 2. Strabo lib. 5. & Seruius in Aeneidem.

EMERITOS DIANA CANES. Diana credebatur suis Festis, quæ Idibus Aug. celebrabantur feriari, canesque suos coronare & à venatu immunes habere, quod Statij versus indicat, & confirmat Gratius in Cynegetico.

Spicataque faces sacrum ad nemorale Dianæ
Sistimus & soluto Catuli velantur honore.

Turneb lib. 7 c. vlt. Male ergo Paschalius lib. 1. de coronis. exponit hîc coronare pro vincire & constringere. Legimus & boues coronatos fuisse diebus feriatis. Ouid. 1. Fast. Tib eleg 1 lib. 2.

FACE MVLTA. Faces in his Dianæ sacris prælatæ, vt in quibusdam aliis. Nam Argis fuit Festum facularum. Pausanias lib. 2. Mineruam Saiticam Aegyptij Lampadibus accensis coluere. Themistius serm 13. De Cerere alibi. Quin & Christianis idem mos vsurpatus in Festo Paschatis & aliis quibusdam. Eusebius lib. 4. Constantini, & Gregor. Nazianzenus de Paschate.

SPLENDET LACVS. Alibi legitur *Locus* frustrà. Nam in hoc nemore Dianæ Aricinæ lacus ingens fuit cum delubro deæ. Strabo li. 5. Vibius Sequester *Triuiæ*, inquit, *Lacus Aricia* male vulgò *Africa*. Meminit Virgilius lib. 7. C

ANGVSTAQVE FORES. Geuartius legit *Angustasque*, & intelligi putat Aricinæ Dianæ templum, quod non probo. Verba enim Statij ostendunt hunc Surrenti non Ariciæ, Festum Triuiæ diem celebrasse Quod ait idē, templorum fores diebus Festis velati consueuisse, verum est, sed & priuatorum ianuæ ita ornabantur, vt ex Iuuenale & Tertulliano docuit Lipsius 1. Elect Vnde nihil vetat legere *Angustas fores* & exponere quorumdam villas humiliores quæ erant in littore Surrentino. In his enim Statius cum Pollio per Hecateias Idus exspatiabatur. Domitius per angustas fores templum Herculis angustum exponit, plane contra mentem Statij vt apparet. Ait enim mox poëta conuiuas omnes diffugisse in proximam Herculis ædiculam.

DEFENDIMVS ARBORE SOLES. Defendere hic est arcere, vt apud nostrum *Defendere noctem culminibus* 1. Theb & Virg —— *Solstitium pecori defendite.*

QVAS PVPPES NOLINT VELIS TRANSIRE SECVNDIS. Rectè censet Geuartius notari hic aras deorū littoralium, quibus nauigantes vota faciebant. Catullus epig. in Phaselū.

SCRIPTO VIVENTES LVMINE CERAS Lumē hic pro picturæ ornamentis, vel coloribus viuis vt loquuntur. Sic apud Plinium episto. 13. lib. 3. *In pictura lumen non alia res magis quam vmbra commendat*. Vbi lumen opponitur vmbræ quam pictores de industria tabulis suis

interdum conciliant. Scriptum verò lumen est pictum: Nam scribere est pingere vt Sylua prima.

A

Apellea cuperent te scribere Cera.

Ceris autem pingi solere docet Plinius c.11.lib.35. Hine patet cur ceras cum lumine scripto, id est, cum coloribus poëta iunxerit.

PROXIMA IVNO. Templum Iunonis Argiuæ, quod Surrento proximum fuisse constat ex Strabone & Plinio lib.3.c.5 vbi eius conditorem facit Iasonem.

CONSCRIPTA FORMATVR IMAGINE TELA. Notatur ἰχνογραφία, id est tenuis & prima delineatio operis seu ædificij extruendi, quam redemptores velut exemplar sibi proponere solent in tela, vel charta expressam. Plin.epist.39.lib.9.ad Mustium architectum *Formam*, inquit, *secundum rationem loci scribas.*

TAVRVBVLAE. Hoc nomen à Geographis prætermissum ait Domitius, & à Tauro deducit, cuius ductu Samnites in coloniam deducti. Strabo lib.5. At Scopas in Collectaneis legit *Teleboæ*. Capreæ enim sunt Teleboûm & ita vocantur in 7. Aeneid. quam vrbem Surrento vicinam fuisse Geographi docent.

PLACIDAE DANT SIGNA TVBAE. Omnibus penè ludis tuba pro signo adhibita. Virg.

At tuba commissos medio canit aggere ludos.

Plin. lib 2. epist. 7. *Qui nunquam Castra viderunt, nunquam denique tubarum sonum nisi in Spectaculis audierunt*, hine patet quæ sint placidæ tubæ.

B

SORTIBVS ARDENS. Male vulgò fortibus. In certaminibus sors vsurpata. Plin.lib.8 ep. 14. *Scilicet vt in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac seruat qui cum victore contendat.* Plura scribunt in libris de Circo & Amphitheatro.

LACRYMABILIS ISTMOS. Propter Melicertam puerum in cuius memoriam ludi funebres in Isthmo instituti. Scholiastes Pindari in Isthm. & Lutatius in Thebaidem.

ICARIO PALMITE. Vinum circumloquitur cuius vsum Liber Icario demonstrauit ob pietatem & iustitiam singularem. Higinus.

PARTHENOPE GENTILE SACRVM. Ludi Neapolitani & ludi à Pollio instituti Surrenti, dicuntur gentiles quia commune nomen habent, & Parthenopæa vtrique vocantur, vt ait Paschalius lib.6.de Coronis. Certe Polliani isti ludi fuerunt imitamenta Neapolitanorum de quibus Strabo lib.5. Vnde hic simulachra coronæ Neap. appellantur. Vbi coronam metonymice interpretatur idem Paschalius ludos & certamina in quibus corona præmium. Gentiles porrò dici eos qui eodem nomine appellantur docet Festus lib.7.

NVDAS SPECTARE PALAESTRAS. Nudos fuisse palæstritas docet abunde Mercurialis in gymnast. Lacedæmoniorum id institutum. Propertius & Plut. in Lycurgo.

POMA INGERE POLLAS. Mala amoribus dicata. Philostr. in Amor μῆλα μὲν ἔρωτες τρυγῶσι. Ea siquidem conceptum iuuare putabantur: vnde scribit Arnobius Naoam Nympham mala tecentem in manibus, concepisse. Attius poëta apud Nonium & Priscianum.

C

Mala manu retinens grauida concepit in aluo.

Schol. Aristophanis, μηλοβολεῖν ἔλεγον τὸ εἰς ἀφροδίσια δελεάζειν, ἐπεὶ καὶ τὸ μῆλον ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερόν. Selerus cùm nubilem virginem à qua cõtemnebatur, adamaret, ei malum Persicum misit, quo puella in sinum recepto amore insanire cœpit. Nicetas lib.4. Manuelis Comneni.

NESIDA CORONAT. i, cingit Ouid.5. Met.

Sylua coronat aquas.

Homerus in hymno Apoll. ἀμφιστέφανον πολύθρον vocat & Musæus dixit insulas mari coronatas. Apul. de deo Socr. *Nubes capite editi montis ceu quibusdam curuis torquibus coronare.* Sidonius ep. 2. lib.1. de Theodorico. *Geminos*, inquit, *orbes hispidus superciliorum coronat arcus.* De Neside Campaniæ insula supra ex Plinio.

LIBAMENTA TVLI Hæc inferebantur interdum in ignem vt 9. Iliad. sæpe in aram Dionys. lib.4. Silius Italicus li.7. & Plut. de fort. Rom.

IN PROPEMPTICVM METII.

SYNOPSIS.

A

NAuigantem in Syriam Metium cui castra Syriaca Domitianus mãdauerat, hoc poëmatio Statius prosequitur, Nereides & alia maritima inuocat, vt amici sui iter fortunent, eidem etiam Aegyptiam precatur vt sui soris det eundem feliciter appellere. Inseritur parecbasis in nauigationis inuentores. Postremò aperit qua gratulatione reducem sit excepturus. In hac sylua passim imitatur Horatium Ode 4. lib. 1. De Metio Suet. in Domitiano meminit.

PHARIVM ATTVLET ANNVM. Annus hic pro annona & apud Claudi. de bello Gildonico.

Pensabam Pharium Getulis messibus annum.

B

Lucanus lib 3.

Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.

Pharius ergo annus est annona ex Aegypto de qua Plinius in panegyr. & fusè Lipsius 1. Elect. vbi etiam citat hunc locum.

SVPPARA. Non tam vela videntur fuisse quam velorum supplementa & summæ partes quæ supra vela ipsa & antennam expandebantur dicta quod sursum patarentur. Suppara autem in alto mari pandebant aliæ naues, cum vero terram legerent, ea colligebant & substringebant Solæ Alexandrinæ naues suppar is apertis in portum peruehebantur. Seneca epist. 78. Turnebus lib. 21. aduers. Vide Festum in *Supparus*, & ibi Iosephum Scaligerum.

GRAVIS ARTE MOLORCHVS. Diuinant hic plerique interpretes sed non diuinitus, quorum variis expositionibus immoratur abunde Geuartius idemque cẽset Molorchum nomen esse cuiusdam famosi vrinatoris. Quæ interpretatio cum mente Statij parum conuenit. Rogat enim poëta Nymphas omnes maris, vt Metij nauigationem certatim iuuent, & officia nautica inter se partiantur illius gratia Aliæ, inquit, funes tendant, aliæ vela pandant zephyris: Sint etiam quibus Molorchus latentia in fundo saxa exploret. Quid ergo prodest vrinatorem hic comminisci, cum Nymphæ ipsæ officia nautarum subeant atque exequantur? Lego *Grauis arte Molorchus*, & hoc nomen cum Domitio interpretor instrumentum nauticum ad rupes maris scrutandas comparatum Vel cum Baptista Pio lego *M. lorthus* quæ vox rectum plumbum significat, i, plumbeum illud perpendiculum quo profunditas maris solet explorari, cuius meminit obiter Suidas. Est autem instrumentum illud è plumbo longitudine sesquipedali, crassitudine inæquali & ab imo sensim decrescente ad instar pyramidis. Vna eius extremitas latior & plana est, quæ sebo vel adipe illinitur. Alia angustior & cuspidata, foramen habet per quod funes longissimi traiiciuntur. His ergo funibus nautæ plumbeum illud instrumentum demittunt in mare, vt altitudinem ipsius & fundum explorent. Id quod factitant vbi anchora fundare naues cupiunt. Sæpe enim in magno & vasto Oceano abyssi sunt, quarum vada nullius instrumenti adminiculo reperire queas, quod non ignorauit Plinius, & hodierni nauarchates testantur: Atque nauis in medio mari ita deprehẽsa aut vento obsecũdare debet si ingruit, aut si est μακαδια hæreat necesse est donec vẽtis perflatibus liceat velificari. Quod si mare vadosum est, an illic tutũ sit nauẽ sistere ita explorant. Demittunt plumbum illud funibus illigatum, quousque ad fundum peruenerit, cuius tactum facile sentiunt, cæterum latior extremitas plumbi cum plana sit, ex vado quod attigit statim trahit aliquid quod sebo vel adipi adhæresit: Si arena adhæserit, non cunctantur anchoram iacere. Si nihil

C

ex fundo extractum fuerit, colligunt illic fubesse limum dunraxat, aut rupes quæ anchoræ morsum refugiant. proinde vlterius pergunt. *Hæc de Molorcho cuius etymon repetes, ἀπὸ τῦ μολύβδυ & ὀρχῦ, id est, plumbo & fouea, vel ἀπὸ τῦ μολεῖν, & ὀρχῦ, quod in imum descendat.

AVDAX INGENII. Similis querela est apud Horat. loco citato & Sen in Medæa.

FOECVNDA LICENTIA NILI. De hoc flumine omnia iam vulgata. Eius incrementum in pariete putei cuiusdam notari folitum docet Strabo libr 17. Plin. lib.5 & lib.18. Diod. Sic. lib.1. Heliod. lib.9. Mensuram altitudinis ad templum Serapidis deferebant, postea in Ecclesias tempore Constantini. Rufinus in appendice ad Eusebij Hist. Eccles. Vide Casellium lib.2. Variarum.

CECROPIO STAGNATA LVTO. Baptista Pius hirundinum aggerem lutum hic exponit, quem aues illæ in Aegypto extruunt inexpugnabilem aduersus Nili euagantis impetus. Plin. lib. x Plur. περὶ ποταμῶν. Cur lutum illud dicatur Cecropium ratio petenda ex metamorphosi Cecropiæ Procnes.

INVIDA MEMPHIS. Sacerdotes Memphitici seu Aegyptij arcana suæ doctrinæ non communicabant & literis ignorabilibus vt loquitur Apuleius in Milef. ea adumbrabant. Eam ob rem dicitur inuida Memphis, ait Beroaldus.

LASCIVIAT ORA CANOPI. Vt Baiæ & totus fere Campaniæ tractus mollitiei & vitiorum fuit diuersorium Romanis, sic Aegyptiis Canopus, qui propterea mollis vocatur Latino Pacato in Panegyr. Theodos. Plura Strabo lib.17 & Sen. epist. 51.

SERVET PHARIAS LETHAEVS IANITOR ARAS. Anubis quem Lethæum ianitorem vocat, quasi Plutonis canem. Ratio huius interpretationis est, quia Anubis corpus Osiridis fidissimè seruauit, teste Diodoro & Plutarcho. Osirin autem & Plutonem eundem esse Deum idem Plutarchus & Tacitus docent. Ille itaque canis seruare dicitur aras Pharias, eo quod deorum simulachris quasi custos adhibebatur. Plutarchus in Iside & Orus in Hierogl. Malim hunc locum ita exponere, quam cum Domitio de Charonte & repræsentatione inferorum apud Aegyptios, de qua Diodorus lib.2. antiquit. Etenim minus propriè Charon dicitur ianitor quàm portitor. Deinde quomodo diceretur ille magister nauis seruare Pharias aras? Nisi *Oras* non *Aras* hic legendum putamus. Præiuit nobis in parte ad hanc interpretationem Morellus, quem vide. Nam Bernartius & Geuartius hunc locum & plerósque alios satis difficiles prætermiserunt.

HYBLEAO NECTARE DVRAT. Melle condita cadauera vt diutius incorrupta manerent, quia mellis talis natura est vt putrescere corpora non sinat, inquit Plin lib.22. c.24. Id præcepisse Democritum Varro apud Nonium testatur. Corrippus lib.3.

—— fragrantia mella locatis
Infundunt pateris & odoro balsama succo
Tempus in æternum sacrum seruantia corpus.

ZEVGMA LATINAE PACIS ITER. Vrbs Zeugma ad Euphratem sita, qui terminus imperij Romani versus Persas, vnde Statius alibi.

—— Achemenio secludit Zeugmate Persas.

Ideo iter Latinæ pacis hic dicitur. Plin lib.5.

IN LACHRYMAS HETRVSCI.

*S*YNOPSIS.

HEtrusci pietatem celebrat qui patrem exulem primò, deinde mortuum veris lachrymis defleuit, ad quod spectaculum numen ipsum pietatis & innocuos omnes inui-

tat, sontes & improbos velut à sacris abigens. Quoniam verò seruilis conditio cui obnoxius Hetruscus fuerat, laudem eius imminuere videbatur, hanc notam primò extenuat ab exemplis & communi rerum omnium lege quæ in seruitutem quandam singulæ mancipantur. Deinde omne notat fortunæ eius incrementa quæ sordes generis facilè eluant, cum sub variis Imperatoribus honorum gradus decucurrerit, tandem opum principalium curæ ac dispensationi præpositus. Hinc connubium ipsius laudat, postremo desiderium & cultum quidem apud filium superstitem. A

PROCVL ITE NOCENTES. A sacris præsertim Eleusinis, impij voce præconis submouebantur Suet. in Ner. c. 34. Omitto verba Callimachi & aliorum.

NIVEOQVE INSIGNIS AMICTV. An quia fœminæ in luctu albatæ Romanis teste Plut. in quæst. & Herodi lib. 1. An ad candorem pietatis id referendum? Eadem cur vittata venire iubeatur ad exequias dixi ad illud. *Vittis & fronte honore soluto*: Vittas quidem albas tribuit in luctu Romanis mulieribus idem Plut. problem 26.

ANIMAEQVE SVPREMVM FRIGVS AMAT. Allusit fortè ad etymon ψυχῆς ἀπὸ τοῦ ψύχεσθαι, quod animæ corpora ingressæ plurimum de natiuo calore deperdere existimarentur. Nihil sanè calore conuenientius vitæ, quæ propterea Græcis ἀπὸ τοῦ ζέειν ζωὴ dicitur. Contra nihil frigore alienius. Statius 8. Theb.

Ingentésque animas extremo frigore tabi.

Donatus in Ter. Adelphos. B

SVRREXIT IN ACTVS. Legit Sabellicus in Arctos, vt notetur Claudij expeditio Britannica: Actus tamen rectè dicuntur munia principum quibus nihil perinde vitandum est ac desidiæ crimen & ignauiæ suspicio, quò spectat illud decantissimum Vespasiani apud Suet.

Imperatorem stantem mori oportere. Lamprid. in Alex.

Actibus publicis operam dabat.

STELLIGERVM SENIOR DEMISSVS IN AXEM. Sarcasmum hic subesse putant, vt in illo Iuuenalis.

——— *Ad cœlum descendere iussus.*

sed nihilominus Elisij pars inferorum.

——— *Solémque suum & sua sidera norunt.*

Virgil. in 6. Claud. lib. 2. de raptu.

LONGO NEPOTI. Neroni Claudij successori. Epitheton longus non ad staturam refertur, sed ad stoliditatem: quo sensu longum hominem dixit Catullus in Ianuæ prosopopeia.

CREDITVR VNI SANCTARVM DIGESTVS OPVM. Significat Hetruscum fuisse dispensatorem principis & rationibus Imperatoriis tam accepti quam expensi præpositum. Domitius hoc enim munus fuit dispensatoris: Cic. in Hortens. *Cum rationem accipis à dispensatore.* Suet in Galba. *Dispensatori breuiarium rationum offerenti.* Idem vocatur arcarius vt in glossis Isidori. Amplum itaque munus nec tam angustis finibus conclusum quam nonnulli putant, licet fatear dispensatores quosdam minoris notæ fuisse, qui cibaria duntaxat seruorum curarent. At noster Hetruscus Statio teste fuit διοικητὴς πάσης οὐσίας, vt loquitur Theophilus in Instit. id est, eiusmodi dispensator, cui omnium rerum Herus summam credidit, vt apud Plautum in Asin. fuerunt & rationales sub principibus, qui antea procuratores Cæsaris vocabantur. Lamprid in Alex. Et rationales summarum quos notitia imperij per prouincias constitutos ait, & memorat C. Theodos. l 7. de iure fisci. fuerunt & Comites rerum priuatarum sed sub posterioribus tantùm Imperatoribus & Com. sacrarum largitionum. Dispensatorum principalium meminere veteres inscriptiones, vt illa. *Cn. Cornelio. Capitolino. Nepoti dulciss. Aug. N. Ver. Disp. Vix. An. vi. vii. vi. D. vi.* Mamertinus in Panegyr. ad Iulianum hoc munus videtur describere. Primum, inquit, thesaurorum mandata custodia & dispensatio largiendi. Idem, credo, fuit officium eius quem δημοσίων εἰσφορῶν φροντιστὴν καὶ λογιστὴν μέγιστον vocat Nicetas in Manuele Comn. lib. 1. Doctus Bernartius qui & notis & commentariis tam operosis Statium illustrauit, C

an debuit hunc locum relinquere intactum? Nimis sanè negligenter hunc scriptorem tractauit. Sed quod quidam olim aiebat, nec omnes hunc capiunt, nec omnes eo capiuntur.

A MASSYLAQVE ROBORA. Robur pro qualibet arbore, vt hic & infra apud Lucanum. Massyla ergo robora sunt citri è quibus citreæ mensæ olim laudatissimæ Petron. Carmine de Roma.

— Ecce Afris eruta terris
Citrea mensa.

Lucanus lib. 9.

— tantum Maurusia Genti
Robora diuitiæ quantum non nouerat vsum,
Sed Citri contenta comis viuebat & vmbra
In nemus ignotum nostra venere secures
Extremó jus epulas mensásque petimus orbe.

Plin. lib. 13. c. 15. *Confines ei mauri quibus plurima arbor Cedri & mensarum insania.* Vbi ex Mss. Cod. plerique legunt Citri. Quæ arbores differunt. Nam Cedrus est ἄκαρπος, Citrus fructum fert. Cuiacius lib. 2. obseruat. Vide Scaligerum in voce Citrosa apud Festum, vbi duplicem facit Citrum, vnam ex qua mensæ fiebant, aliam quæ poma habet, quam Medicam vocant. Quod discrimen I.C. princeps non videtur agnoscere. Nec verò mensæ tantum è citro, sed etiam lecti vt Persius docet.

I INDI DENTIS. Eboris, cuius frequens vsus in lectorum ornatu. Catullus in nupt. Pel.

Puluinar verò diuæ geniale locatur
Sedibus in medijs Indo quod dente politum, &c.

Apul. lib. 2. Milesf. *Ostpares tibi & ebore nitente lecti.* Vide Plin. lib. 16. c. 43.

IGNI FORMANDA LIQVESCAT MASSA. Aurea vel ærea. Ex his enim præcipuè metallis moneta cuditur. Nummi stannei & plumbei reprobantur l. 9. ff. ad l. Corn. de falsis.

AVSONIAE SCRIPTVM RECEPIT GEMMA MONETAE. Scribi moneta dicitur cùm ipsi imago principis & tituli imprimuntur. Sic aurum scriptum vocatur Iuuen. Sat. 6. & Claudi. 2. in Rufinum Nomen Imperatoris inscribi solitum cum ipsius imagine præter Claudianum docet Trebell. Pollio in Galieno. *Nummum sibi osculantibus quaternos aureos sui nominis dedit.* Nec aliter interpretor argenti titulos apud Iuuen. Sat. 14.

Conscisum argentum in titulos faciésque minutas.

Et apud Corippum lib 4.

Hinc vetus argentum formas speciésque nouatum
In varias sculptum titulis pressúmque figuris.

C De vultibus principum ibidem expressis præter laudatos authores meminit Theodoricus apud Cassiod. lib 7. *Moneta debet integritas quæri vbi & vultus noster imprimitur.* Nec alienum erit in transcursu adnotare, ex omnibus olim principibus solos Francorum Reges exemplo Romani Imperatoris aureæ monetæ nomen titulósque suos impressisse Procopius in Gothicis.

AVSONIOS ENSES. Quod munus hic notet metirò ambigas, præfecturam prætorij an cubiculi, an armorum custodiam. Et præfecto quidem prætorij ensem à principe traditum constat ex historia Traiani apud Plinium, & Xiphilinum, & Philostratum lib. 4. Principis tamen ensem gestatum à præposito sacri cubiculi discimus ex Dione in Domitiano & ex l. iubemus C. de præp. sac. cubic. Vbi glossa cingulum dignitatis ensem interpretatur. At in aula Byzantina id munus Magni domestici fuit, quo absente Protostrator, & Accubitor fundæ spatham Imperatoris gestabant, quem morem pauci hactenus animaduerterunt, & didici ex Curopalate lib. de offic. aulæ Constantin. Sed per Ausonios enses puto Statium intelligere arma publica quæ in armamentario fieri & reponi solebant, cui loco qui præficiebatur, armorum custos vocabatur, vt in vetere inscriptione apud Renardū 1. Coniect. *V. F. C. Vitius Sabinus Veteranus armorum custos leg. 1. xiiii. Gem Vict.*

D. M. Armamentarij meminit Cic. in Rabiriana, Cæsar. 2. ciuil. Tacit. 1. Histor. Nec enim licebat cuiquam arma domi habere c. 1. ad l. Iul. de vi publica, neque in vrbe gestare ensem iniussu principis, adeo vt arma vendere cuiquam priuato Fabricenses prohibeantur Authent. Collat. 6. ne, inquit Imperator, licentia detur ciuitates habitãtibus aut villas vti armis aduersus alterutros. Similem legem tulit Romæ Pompeius teste Plinio lib. 34. c. 14. Vide Turn. 12. aduers. c. 6. Iustiniani æuo magister sacrorum scriniorum fabricensibus illis præerat, vt in dicta constitutione Auth. Coll. 6. Domitius tamen nihil aliud in his verbis Statij interpretatur nisi consularum, cui aduersari non audeo: Sed neque P. Fabro qui 1. Semestrium ius gladij & merum imperium præsidis prouinciæ aut præfecti prætorio expouit. A

LAEVAE IGNOBILE FERRVM. Seruilem conditionem & plebeiam expone, quia serui annulo ferreo tantum vtebantur. Plin lib. 33. c. 1. & 2. Læua autem dixit, eo quod primitus annuli læua gestabantur eodem Plinio teste.

CELSO NATORVM AEQVAVIT HONORE. Hetruscum pari honore affecit ac liberos Vespasianus. Ita Domitius, cui vt assentiar facit epitheton Celsi, & honos Idumæi triumphi quo idem princeps donasse hic dicitur Hetruscum. Et quid mirum? Poëtæ omnia in maius extollunt. Licet tamen etiam hunc locum exponere de iure trium liberorum, quod in magno fuisse docet Martialis & Traianus apud Plinium epist. lib. x. Id vero ius à Spartanis profectum videtur. Qui enim tres liberos eorum Reip. suppeditabat, ab excubiis erat immunis, qui vero quinque ab omnibus publicis oneribus liber erat. Ælianus Var. Hist. lib. 6. c. 6. Hæc sunt πολυπαιδίας ἆθλα. Dioni. lib. 55. B

FVLMINIS ICTV. Fulmen interdum pro exilio vt hic & apud Ouid. hoc versu.

Venit in hoc illa fulmen abarce caput.

Sed & pro quolibet casu tristi vt apud Petron. in Sat. *Intremui post hoc fulmen attonitus.* Idem alibi fulminatum graui pronuntiatione dixit. Præcipuè tamen ea vox transfertur ad damna quæ à potentioribus inferuntur, vnde prouerbium *Procul à Ioue & fulmine.*

QVALIA NEC SICVLAE. Sirenum cantus quæ in Siculo mari sedem habent in prouerbium venit. Agathias Antholog. 7.

—— σὺ δέ μοι καὶ τὸ λάλημα φέρεις
κεῖνο τὶ σειρήνων γλυκερώτερον.

Petronius. *Putares inter auras canere Sirenum concordiam.* Hinc σειρηναῖα ἀφηγήματα, pro dulcibus narrationibus accipit Simocata initio sui operis, & poëmatum illecebræ his assimilantur. Pausanias lib. 1.

POTVIT PHRYGA VINCERE SVPPLEX THRACIVS. Per Phryga Radamanthus, per Thracium Orpheus exponitur à Domitio. Sed nusquam legi Radamanthum fuisse Phryga, G qui Gnosius & Cretensis à Virgilio dicitur. Itaque hunc locum planè depositum non aliter sanari posse existimo, quàm si pro *Phryga* legamus *Styga*. Hæc mea coniectura, quam probaui iampridem aliquot eruditis. Certè proximè abest à vulgata lectione, & menti poëtæ imprimis conuenit. Quid facerent interpretes nisi liceret interdum σοχάζειν, in his præcipuè syluis, quarum vix vlli codices fide digni reperiuntur?

TE SIMILEM DOCTAE REFERET MIHI LINEA CERAE. Ita solent coli parentes & amici imaginibus ad eorum similitudinem expressis Fulgentius in Mythol. & Sapientiæ c. 14. Statius de Polla in Genethl. Lucani.

Ipsum sed colit & frequentat ipsum
Ac solatia vana subministrat
Vultus qui simili notatus auro
Stratis prænitet incubatque somno.

Linea Ceræ. Hic pro lineamentis vultus cerei, siquidem pictores lineas ducere propriè dicuntur. Lineis etiam stemmata discurrebant ad pictas cera imagines. Plin. libr. 35. c. 2. & 3.

MONITVRAQVE SOMNIA POSCAM. Vaticinia ex insomniis olim captata, ex Peripateticorum doctrina, qui animam interdiu corpori seruire, noctu liberam ab eius ministerio veritatem facilius perspicere, & futura cogitatione præcipere dictitabant, vt scribit

Aelianus

Aelianus c.xi. Var. Hist. lib. 3. Quin & in sacris literis legimus Deum veteribus Prophe-
A tis dormientibus arcana suæ prouidentiæ commisisse, & mentem fatidicam inspirasse. Numerorum c 12. Briso Ethnicis dea somniorum præses & interpres ἐκ τῦ βρίζειν Athenæus lib. 8. Vide Lactantium in 5. Thebaidos.

IN COMAM EARINI.

SYNOPSIS.

Missam ab Earino comam Aesculapio bonis ominibus prosequitur, deúmque rogat vt hoc donum lætus libénsque accipiat. Cuius pulchritudinem vt amplificet, fin-
B git hunc puerum Pergami à Venere animaduersum & inde in aulam Domitiani deductum cui pocula ministraret. Felicem vocat hoc alumno Pergamum quem Endymioni Aty, Narcisso, Hylæ, formæ præstantia nobilitatis præponit, comam ipsius cum Nisi & Achillis cæsarie comparat, eámque magnificè ornatam ait à Venere & Amoribus, itáque Aesculapio consecratam. De hoc Earini donatio Martialis lib. 9. epigr. 17. & 18.

ACCIPE LAVDATOS IVVENIS PHOEBOEIE CRINES. Et pueris & puellis mos fuit primitias comæ deo consecrare. Pausan. lib. 1. καθεστήκει ταῖς κόραις χοὰς πρὸς τὸ τῆς Ἰφινόης μνῆμα προσφέρειν πρὸ γάμου καὶ ἀπάρχεσθαι τῶν τριχῶν καθάπερ καὶ ἱκαίργῃ καὶ ὕπιδι (malè vulgò ὕπιδυ) αἱ θυγατέρες ποτὲ ἀπεκείραντο αἱ Δηλίων. Vbi ἱκαίργῃ & ὕπιδι nomina propria sunt puellarum Apollini & Dianæ charissimarum) quæ etiam tributa sunt ipsis numinibus consanguineis. Nam Apollo ἱκαίργος, Diana ὗπις appellatur. Scholiastes Callimachi in hymnum Dianæ: Vnde etiam ibidem legendum puto ἱκαίργῳ. De hoc more consecrandi pueriles capillos Plut. in Theseo, Lucianus de dea Syria, Pollux lib. 3. & Tertull. de anima.

SALVTIFERO MITIS DEVS INCVBAT ANGVI. Aesculapius in anguem versus, & hac specie Romam delatus Ouid. 15. Met. Occasionem huic fabulæ dederunt remedia plurima quæ ex serpentibus petuntur vt diximus ad illud Anguis abundat spumatu in Sotetijs Rutilij. Et in Aesculapij templo serpens nocturnis horis lambere solitus ægrotos
C eósque curare vt ex Aristophanis Pluto obseruauit Sabellicus. Eius quoque Dei simulachris subiungitur draco Macrob. 1. Sat. c. 20. Proinde salutifero angui dicitur incubare.

SANGARIVSQVE PVER. Atys à flumine Phrygiæ Sangario de quo Claudianus 2. in Eutrop.

TE CAERVLA NAIS. Hylæ fabula notatur, mox enim vrnæ fit mentio.

DAT RADIOS IONEMQVE NOVVM. Eadem 1. Aeneid.

——— Decoram
Cæsariem nato genitrix luménque iuuentæ
Purpureum & lætos oculis afflauit honores.

MYRRHASQVE GRAVES. Myrrhæ nomen πολύσημον. Interdum sumitur pro herba non insuauis gustus apud Plin. lib. 24. c. 16. Interdum & sæpius pro frutice notissimo & odorato, vnde Myrrhina seu murina dicta est, genus vini dulcis de quo Plinius lib. 14. c. 13. Lautissima, inquit, erant vina Myrrhæ odore condita, quanquam nonnulli corrigunt & pro Myrrhæ, legunt, mirto: Prorsus contra mentem Plinij, qui disertè exprimit materiam ex qua constant factitia eiusmodi vina, non exprimeret autem si correctionem illam admitteremus, quam & nugatoriam esse verba authoris sequentia demonstrant, ait enim ille quanquam & in ea calamum addi iubet Plautus. Præterea apertè idem Plinius aromatiten è myrrha factitatum scribit c. 16. lib. 16. Quod si ita est, futilis est obie-

ctio viri doctissimi, negantis vinum è myrrha dulce fieri potuisse, propter amaritiem liquoris & succi illius fruticis. Nam quid dulcius etiam nostris temporibus aromatite? Quod errore translatitio de Hippocratis nomine quasi ille inuentor fuerit vulgo appellamus, cui tamen & olim myrrha, & hodie amata condimenta permisceri solent: nec dubium est murrinam veterum seu quod idem est murratum vinum præter myrrham aliud quiddam habuisse, quo amarities mitigaretur. Lege Festum lib. 12. Quale autem istud fuerit, discere possumus ex Plinij locis citatis. Vnde miror Hieronymum Mercurialem in variis lectionibus adeo timidè quid esset murrina definiuisse eámque existimasse genus quoddam potionis nobis incognitum. Hoccine est reconditas voces interpretari.? Sed ad Statium regrediamur apud quem myrrhæ nomen hic vsurpatur pro gemma quadam seu humore sub terra calore concreto ex quo pretiosa pocula fiebant, myrrhina item dicta Plin. lib. vlt. c. 2. Eadem myrræ dicuntur metonymicè Martialis in Apophor. A

Si calidum potas, ardenti myrrha falerno
Conuenit & melior fit sapor inde mero.

Idem epig. 41 lib. 4.

Nos bibimus vitro, tu myrrha Pontice, quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

NVNC FRANGERE SEXVM. Euirare, mollire puerum vt supra, quod ab orientis principibus Romani didicerant, siue Persis vt docet Petronius, siue Assyriis, aut Parthis vt Claudianus 1. in Eutropium, Cyprianus ep. 2. ad Donat. *Euirantur mares, omnis honor & vigor sexus euirati corporis dedecore mollitur: plusquam illic placet quisquis virum in feminam fregerit.* Id tandem vetitum à Domitiano, quo nomine Statius & Martialis illi blandiuntur. Eusebius in Chron. Sueton. in Domitiano. B

NON VNVM MVNVS. Præter comam scilicet, barbam quoque consecrasses vt moris fuit iuuenibus.

MOTAS MIRATVR PERGAMOS ARAS. Motio altaris ac delubri spontanea, signum aduenientis dei præsertim Apollinis. Callimachus: hymno in Apoll.

οἷον ὁ τὠπόλλωνος ἐσείσατο δάφνινος ὅρπηξ
οἷα δ᾽ ὅλον τὸ μέλαθρον.

Virg. 3. Aeneid.

——Tremere omnia visa repente
Liminàque laurúsque Dei.

Claudianus 1. de raptu.

Iam mihi cernuntur trepidis delubra moueri
Sedibus & claram dispergere culmina lucem
Aduentum testata dei. C

Interdum tamen hæc motio est mali ominis, vt apud nostrum in 4. Thebaidos.

IN ECLOGAM AD VXOREM.

SYNOPSIS.

SEcedere Neapolim Statius destinarat & natali solo reliquum vitæ tempus impendere, sed grauabatur Romam deserere vxor Claudia & diurnis nocturnisque suspiriis hanc migrationem sibi displicere ostendebat. Hac vero Ecloga partim eam laudat ac solatur, partim admonet officij coniugalis & ab exemplis Heroidum hortatur ne cha-

tristissimum coniugem incomitatum abire patiatur. Quod vt libentius faciat excurrit in
A laudem secessus Neapolitani, quem à cœli terræque natiuis dotibus necnon ab incolarum felicitate eommendat.

BENIGNA QVAM MIHI SORTE VENVS IVNCTAM FLORENTIBVS ANNIS SERVET ET IN SENIVM TVA QVAE, &c. Implicatum fatetur hunc locum Geuartius, quem vt euoluat mutandam censet copulam, &, in vt. Quasi dicat Statius. Tuum in me amorem ita Venus mihi perpetuum seruet quemadmodum ego vsque in senium me tibi astrinxi. Ait etiam sibi probari Isaaci Pontani interpunctionem eiusmodi & correctionem.

Seruet & in senium. Tu quæ me vulnere primo, &c.

Sic autem distingui & legi rectius puto.

— Hæc mens tua nempe, benigna
Quam mihi sorte Venus iunctam florentibus annis
Seruet & in senium tibi, quæ me, &c.

Epithetum *benigna* in auferendi casu expono & refero ad τὸ *Sorte*, vt sit sententia. Si vel gelidas Arctos, extremam Thulen, aut fontes Nili peterem, non dubitares, vxor, me in itinere comitari. Hæc mens tua, quam benigna mihi sorte, iunctam (nunc) id est
B sociatam florentibus annis, vtinam Venus tibi etiam in senium seruet. Dignum sanè maritis votum, optare vxoribus bonam mentem. Addit Statius *& in senium*, id est, in longos annos, vt voti affectúsque sui magnitudinem amplificet, siquidem cum optet hunc animum Claudiæ vt virum sequi velit vel in remotissimas oras proficiscentem, grande aliquid est hoc exigere à prouectiore & senili coniugis ætate. Participium *iunctam*, interpretandum duxi eum adnerbio *Nunc*, aptè ad mentem poëtæ, qui florentes Claudiæ annos haud dubiè retulit ad tempus quo hæc scripsit, sed eupit pium illius affectum etiam vltra florentes annos in senium vsque diurnare. Succurrit etiam alia correctio.

Seruet & in senium te.

in hunc sensum vtinam hanc mentem tuam benigna sorte iunctam annis florentibus, téque ipsam Venus mihi seruet in senium. Hæc comminisci ausus sum quæ non vendito neque iacto: æstimo enim ea suis pretiis, & scio quàm friuola sint, nec aliud expectant quam spongiam aut atrum transuerso calamo signum illitum ab aliqua manu erudita. Callidos certè interpretes æmulari tutius mihi esset, qui transcurrere connniuentibus oculis solent ea quæ non assequuntur.

TER ME VIDISTI ALBANA FERENTEM. Ter discessit victor ex Albano certamine Pa-
C pinius, quod à Domitiano institutum in Albano celebrabatur. Suet in Domit.

INGRATVMQVE DOLEBAS MECVM VICTA IOVEM. Victus enim fuit in agone Capitolino, quem idem Domitianus instituit. Verba illa MECVM VICTA, ostendunt Claudiam poëtici laboris non modo conscia m sed & participem fuisse, quemadmodum plures fœminæ suis viris in carminibus pangendis affuerunt, quas memorat Sidonius epist. x. lib. 2.

ET QVAM TAM SAEVI. Legit Geuartius *& quam, quam saui*! Non est tanti hæc emendatio vt receptæ lectioni præferatur, nec fortasse nostra, quæ tamen vt spero minus aures offendet Ariadne noratur, vel Dido quam Thyadi assimilat Virgilius in 4.

MOLLI DIDVCIT BRACHIA MOTV. Chironomiam designat, nempe gesticulationem affectus & sententias exprimentem, & quasi sermonem tacitum, de qua Athenæus lib. 12. Lucianus de saltatione. ἀκούω ἄνθρωπε ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν. Cyprianus de spectac. *Loqui digitis elaborat*. hæc addo Geuartij notis. Corporis quidem exercitia Lacænis vsitatissima. Propertius eleg. 13. lib. 3.

VIDVO QVOD SOLA CVBILI OTIA TAM PVLCRAE TERIT, &c. Quid opus Geuartio hunc locum sic interpolare?

Heu nunc illa terit viduum quod sola cubile,
Otia tam pulchra, &c.

cum nihil sit absurdi in vulgata lectione. Viduæ nomen etiam conuenire virgini Grammatici norunt, à particula priuatiua & duitate.

DISESNDVM MVSIS SONAT. Plinius de vxore sua epist 19. lib. 4. *Versus quidem meos cantat formátque cithara, &c.* Is honos habitus poëtis ἐδονιμῶν. Idem epist. 4. libr. 7. de volumine quodam hendecasyllaborum. *Legitur, describitur, cantatur, nunc cithara, nunc lyra personatur.* A

. FLAMMEA HYEMS. Hyems pro vi qualibet vagante instar tempestatis. Sic Aegeas hyemes dixit Claudianus in præfat. 1. de raptu, pro violentia maris Aegæi, & hyemem flammeam Vesæui Statius, & ignem hyemem eiusdem montis Val. Flaccus lib. 4. vt Geuartius obseruauit. Potest & flammea hyems dici ob ingenium inæquale Vesæui, qui & niues fert aut pruinas & ignem diuersa parte emittit, vt de Aetna cecinit Claudianus 1. de raptu.

Quæ quamuis nimio feruens exuberet æstu
Scit niuibus seruare fidem, fumóque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

Vide Epigramma de Vesbio seu Vesuuio monte apud Martialem. lib. 1.

TRACTVS IMITANTIA ROMAE. Capua scilicet primaria olim Campaniæ ciuitas & Romæ prope æmula. Cic. in Rullum 2. Hinc diues Capua Virgil. in Georg. Strabo eius etymon à capite deducit lib. 5. Geogr. B

MONSTRAVIT APOLLO COLVMBA. Ita Geuartius emendat, cum antea legeretur *Columba*. Huius auis augurio Neapolim à Parthenope conditam idem colligit ex Panegyrico ad Pison. sed Domitius ante obseruarat.

DESIDIS OTIA VITAE. Romani enim plerique vt otio fruerentur Neapolim secedebant Strabo lib. 5. hinc Ouidius lib. 15 Met. in otia natam vocat Parthenopen.

TV PROCVRRENTIA PRIMIS CARMINA NOSTRA SONIS. Exprimit morem poetarum carmen aliquod meditantium, illud enim primò murmure quodam tacito intra se concipiunt, deinde retractatum aliquoties & repetitum fundunt. Fulgentius de Alleg. librorum Virgil. *Quales vatum imagines esse solent, dum assumptu ad opus conficiendum tabulis arcanum quoddam latranti intrinsecus tractu submurmurant.*

SOMNIQVE PERACTI. Vix integer esse poterat somnus Romam habitantibus sed identidem abrumpebatur diurno nocturnóque murmure populi tumultuantis, vt fit in magna ciuitate. Ea de re conqueritur non semel Martialis vt epig 57. lib. 12.

Nec transeuntis risus excitat turbæ
Et ad cubile est Roma, tædio fessis
Dormire quoties libuit imus ad villam. C

Et epig. 69. eiusdem lib.

Otia me somnúsque iuuant quæ magna negauit
Roma mihi, redeo si vigilatur & hic.

MORVM IVRA VIRIS. Vide an legendum sit *Mores iura viris* vt notetur optima πολιτεία, vbi mores probi iuris vim obtineant, vt non opus sit verbis minantibus legis aut magistratus imperiosi. Sallustius in præfat. Catil. de veteribus Romanis. *Ius bonúmque apud eos non legibus magis quam natura valebat.* Similia de Scythis narrat Iustinus lib. 2. & de Latinis priscis Virgil lib 7.

NVDI TECTIQVE THEATRI. Nudum theatrum est sine tecto hic & apud Tertull. in Apolog. Talia fuere primitus theatra Romæ, quæ idcirco diebus munerum aut ludorum velis tegebantur. Plin. lib. 19 c. 1. Theatrum cum tecto Regilli & Corinthi extruxit Herodes teste Philostrato.

ET CAPITOLINIS QVINQVENNIA PROXIMA LVSTRIS. Ludi enim quinquennales Neapoli celebrabantur & similes erant agonibus Romæ Capitolinis, qui item quinquennales.

A

IN EPIST. LIB. IV. SYLV.

HIc LIBER TRES HABET. Intellige tres syluas Domitiani principis honori dicatas, vt liquet.

IVVENEM INTER ORNATISSIMOS SECVNDI ORDINIS. Secundum ordinem Domitius equestrem interpretatur. Casaubonus in Suet. Augustum parum sibi constat in expositione huius loci quem citat. Intelligit enim senatores iuuenes qui per ætatem honores adipisci nondum poterant, ideoque secundi ordinis dicebantur ad discrimen aliorum qui magistratus gesserant, profertque in hanc rem Taciti testimonium 6. Annal. vbi honoribus perfuncti aperte distinguuntur à iuuenibus. Postea idem vir doctissimus mutata sententia sine vlla præfatione aliam interpretationem subdit eiusmodi. Isti sunt iuuenes quos secundi ordinis appellabant, primo gradu iis concesso qui domum augustam vel sanguine vel affinitate aut aliqua necessitudine contingerent. En vt pugnantia loquitur:
B Antea enim apertè primum gradum attribuit iuuenibus magistratu perfunctis, nunc eundem concedit propinquis & affinibus Imperatorum. Nisi forte vtrosque confundi debere putat. Videtur autem poeta iuuenem secundi ordinis Septimium appellare quia non erat laticlauius, quod confirmatur illis versibus de eodem Septimio infra scriptis.

Hic paruus inter pignora Curiæ
Contentus arcto lumine purpuræ.

quod etiam annotauit in Suet. Augustum idem Casaubonus. Quosdam iuuenum laticlauios, quosdam angusticlauios fuisse liquet, & alibi Statius docebit. Porrò vt inter iuuenes fuit aliquis ordo, sic inter libertos. Turnebus lib. 18. aduers. cap. 3. Et inter comites, quorum quidam primi ordinis alij secundi leguntur in vetere inscriptione columnę Antonini, quam vide apud Castalionem in variis. Quin & *δευτέρους ὑπατεύσαντας* quasi consulares secundos legimus apud Herodianum in Seuero.

DE EDITIONE MEAE THEBAIDOS PVBLICAVI. Hinc constat Thebaidem ante has saltem syluas editam fuisse. Vide quæ diximus in præfatione.

NVMERO LIBERORVM HONESTAVERIT. Sic forte interpretandum illud ex Hercule
C Surrentino ad Pollium

—— *iuuenemque repleſti*
Parthenopen.

Et crediderim Statium scripsisse *Iuuenumque repleſti*. Plin. lib. 8. epist. 32. *Cupio patriam nostram omnibus rebus augeri, maxime tamen ciuium numero.*

SPHAEROMACHIAS. Hac voce vtitur Seneca ep. 80. sed quod genus exercitij illa significet non satis constat. Plerique lusum pilæ exponunt, etenim de ea capienda certabant diuerso more ab hodierno. Artemidorus li. 4. *φιλονεικοῦσι οἱ σφαιρίζοντες παίζοντες. ὁσάκις δ' ἂν λάβωσι τὴν σφαῖραν, τοσαυτάκις ἀντιπερίϊσι.* Athenæus li. 2. & Pollux li. 9. Tales sphæromachiæ in foro spectabantur. Varro apud Nonium. *Quando videbis Roma in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere.* Vel etiam in campo Martio, vt colligitur ex Horatio in arte. At Mercurialis li. 2. gymnast. *σφαιρομαχεῖν* exponit de pugilibus qui ænea vel lapidea pila aduersarios percutiunt. Et sane Statius hic sphæromachiam à pilari lusione distinguit.

A

IN XVII. CONS. DOMITIANI.

SYNOPSIS.

DOmitiani decimum septimum Consulatum adorat, inducitque Ianum ei gratulantem quod annum secum aperiat ordinario hoc magistratu, honoris insuper incrementa & nouos de gentibus indomitis triumphos illi vaticinantem.

LAETA PVRPVRA. Purpura pro imperio, quoniam & Imperatores ea vtebantur, & Consules aliique maiores magistratus. Vnde Ouidius de nouis Consulibus in Fast.

Iamque noui praeeunt fasces, noua purpura fulget. B

Purpuram Imperatoris βασίλειον πορφύραν vocat Herodian. lib. 2. Claudianus panegyr. 3. in Stilic.

——— posito iam purpura fastu
De se iudicium non dedignatur haberi.

Ea sumpta à nouis Imperatoribus vt principatus insigne teste Herodian. li. 6. & 7. Vopisco in Aurel. & Probo. Niceta passim & Simocatta lib. 1. Quod est intelligendum de chlamyde purpurea, cùm Sidonius chlamydes in augusta supellectile numeret Claudianus panegy. 2. in Stilic. Nam & latus clauus communis omnium Senatorum vestis erat è purpura, vnde purpurei patres infra à Statio vocantur. Iuuenalis Sat. 7. de studiorum contemptu.

——— purpura vendit
Causidicum.

Quibus verbis sugillat morem illius æui quo patroni quantumuis ingeniosi & eloquentes nullo tamen in pretio habebantur nisi purpurati seu laticlauij essent, & exterioribus ornamentis spectabiles. Sed redeo ad purpuram Imperatoris quam adorari solitam docet Marcellinus lib. 21. *Cum Iulianus adorandae purpurae copiam dedisset Luciliano, addidit maiestatis insigne, non vt Consiliario tibi, sed vt desinas pauere porrexi.* Ea igitur quasi sacrosancta. Alex. G
Seuerus teste Lampridio Vlpianum sæpe à militum ira obiectu purpuræ defendit.

APERIT ANNVM. Coss. ordinarij dicuntur annum aperire. Claudianus in 6. Honor. Consulatum.

Iamque nouum fastis aperit felicibus annum.

Et lib. 2. de laud. Stilic.

Prosequar atque anni pandentem claustra salutem.

Symmachus lib. 1. ep 6 *Quando votis communibus felix annus aperitur.* Sidonius ep 6. li 8. *Consul Asterius anni fores votiuum trabeatus aperuerat.* Eodem spectant verba sequentia apud nostrum, *Sole nouo.* Nam sol nouus & annus apertus ἐκ παραλλήλου dicuntur. Eam ob rem anni dicuntur esse Consulum qui ἀρχαὶ ἐπώνυμοι Græcis, quod nomen suum annis & fastis tribuant & imponant. Idem Claudianus panegyr. in Stilic.

——— fastisque suum concesserit annum.

Et alibi.

Annum redde tuum.

Apul. 2. Florid. *Nullo nisi tuo anno ad coercenda peccata plus pudor quam timor valuit:* quanquam ad proconsulem ibi non ad Consulem oratio dirigitur, quia proconsules item annui erant. Cæsar apud Lucanum lib. 10.

Nec meus Eudoxi vincetur fastibus annus.

ET REQVIEM VIX SENSIT HONOS. Corruptè in vulgatis exemplaribus *bis sextus honos.* Significat 17. Consulatus Domitiani nullo pene temporis interstitio diuisos sed coniunctos fuisse & prorogatos.

A NOVIQVE IN LEGES IVRARE FORI. Iurabant in leges more antiquo apud nouos Coss. In hoc notatur Augusti ciuilitas qui & 6. Consulatum cum collega Agrippa partitus est, & magistratu functus iuramentum de more præstitit. Dio initio li. 53. Male itaque vir doctus hunc locum de iuramento in principem concipi solito exponit. Leges noui fori palam sunt noui Consulis, non principis noui. In leges solitum iurari docet Plut. in Catone & Mario. Symmachus in illa capitali Apologia. *Vbi in leges & Imperatoris verba iurabimus?* Forum hic pro Iurisdictione vt vulgo apud Iuticoss. Festus li. 6. *Forum agere dicitur qui prouinciæ præest, cum ciuitates vocat & de controuersiis earum cognoscit.* Ineptit Domitius cum Neruæ forum à Domitiano structum hic interpretatur.

TVAE MANIBVS PRAETEXTA MINERVAE. Mineruam figuratè accipit Casaubonus pro vxore Domitiani, sed præstat simplicius interpretari cum Geuartio deam ipsam cuius numen familiare fuit Domitiano, vt Suet. & Martial. testantur. Cum enim illa sit omnium artium inuentrix, præsertim textrinæ & lanificij, optat Statius vt quotannis Domitianus fiat Consul, & prætexta vtatur manibus suæ Mineruæ confecta. Votum quæsitæ adulationis, quasi illi conueniant vestes diuina manu elaboratæ.

B TVRMAEQVE TRIBVSQVE. Tribus hic pro plebe, separatur enim à turma quæ est propriè equitum. Turnebus hoc notauit lib. 28. & post eum Casaubonus in Sueton. Augustum.

PVRPVREIQVE PATRES. Supra in Genethliaco Lucani.

Cantu purpureum trahes Senatum.

Causa huius epitheti manifesta.

REVOCABITVR ARA TARENTI. Vulgo legitur. *Ara parentis.* Corruptè, vt monuit Geuartius. Facilis fuit error ob similitudinem duorum nominum. Hæc vero aptè cohærent & conueniunt, altera sæcula condere & reuocare aram Tarenti, siue ludos Tarentinos, qui & sæculares dicti.

RESTAT BACTRA NOVIS. Hunc locum vt plerosque Statianos in mente habuit Claudianus panegyr. in 3. Honor. Consulatum sub finem.

NONDVM GREMIO. IOVIS INDICA LAVRVS. Male quidam legunt *Indita.* Domitianus enim lauream Ioui Capitolino intulerat Suetonio teste. Laurus Indica, est triumphus Indicus, vt Laurus Libyca apud Silium lib. 9.

C Mens Statij, nondum de Indis triumpharum fuisse neque de Arabibus & Babyloniis & hanc gloriam Domitiano reseruari.

IN EPVLVM DOMITIANI

SYNOPSIS.

AGit gratias Domitiano ob honorem mensæ Imperatoriæ qua cum Romuleis proceribus fuerat exceptus. Magnificentiam loci conuiualis poëtice describit, in quo nihil spectabilius aut iucundius air fuisse ipso principe, quem Marti, Polluci, Baccho, Herculi, & Ioui recumbentibus æquiparat, ad extremum illi pro tot in se meritis longam & felicem ætatem vouet.

MEDIIS VIDEOR DISCVMBERE IN ASTRIS. Simile illud in nupt. Violant.

——— *ire polo nitidosque errare per axes*

Visus.

MANTVA LAVROS NECTAT. Poëtis etiam est sua laurus. Horat. Ode 7. lib. 2.

Longaque fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Hæc est laurea Apollinaris apud eundem Ode in Pindarum. infrà noster in Herc. Vind. dixit, A

Amantes carmina lauros.

CVRA DEORVM. Ouid. in Met.

Cura deum dij sint & qui coluere colantur.

TANTVM DOMINO MINOR. Sic Martialis de hac ipsa regia Domitiani lib. 8. epigramm. 36.

Hæc Augusto tamen quæ vertice sidera pulsat
Par domus est cœlo, sed minor est domino.

Contraria sententia Pompeius dicitur solo theatro suo minor, Tertulliano de spectaculis.

ROMVLEOS PROCERES. Imperator certis temporibus ad conuiuium inuitabat optimates. Pertinax magistratus & proceres ad cœnam vocauit teste Capitolino. Idem mos apud reges Persarum. Herodotus lib. 3 & 5. Xenophon lib. 1. ἀναβασ. Sic Artaxerxes vel potius Xerxes (hunc enim Assuerum esse probat Scaliger in emendat. temp.) Satrapis suis conuiuium præbuit, de quo liber Esther c. 1. & Iosephus in antiq. Vide quæ diximus ad Cal. Decembres. B

ORBITA FLVXIT TRIPTOLEMI. Hic beneficio Cereris & monitu sparsit fruges in omnes terras. Nonnus lib. 19.

Τριπτόλεμος σπόρον εὗρε φερεσταχύων ἐπὶ δίφρων.

Ouid. li. 5. sub finem, Lutatius ad 4. Thebaid.

DVX SVPERVM. Iupiter, qui ad Æthiopas Oceani accolas abit comessatum & duodecimo post die reuertitur in cœlum, apud Homerum Iliad. 1. Causam figmenti refert Eustathius interpres. Macrobius hoc ad Solem refert c. 24. Saturn. Qui & Iupiter indigetatur, & terrarum superûmque parens apud Senecam in Thyeste choro vltimo.

CORONATIS ITERES QVINQVENNIA LVSTRIS. Capitolina lustra vocauit supra Ecloga ad vxorem, quæ nunc coronata, propter coronas quæ victoribus in agone Capitolino dabantur. Paschalius li. 7. coronata lustra exponit in quibus Imperator est coronatus. Sic non male interpretetis coronatum aurum in Coma Earini, quod ab Imperatore datum est, vel aurum perfectissimum, & purgatissimum: nam coronæ nomen pro qualibet perfectione vsurpari docuit idem Paschalius lib. 2 Dixit poeta *Iteres quinquennia*, quoniam lustrum illud Capitolinum erat quinquennale, vel forte allusit ad imperij quinquennia quæ à principibus Romanis celebrabantur. Nazarius panegyr. ad Constant. *Quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudiu habent. sed in destinatis decennijs iam vota properantia & spes volucres constiterunt.* Sidonius Carm. 13. C

Sic lustro Imperij perennis acto
Quinquennalia fastibus dicentur.

Fuerunt & decennalia & vicennalia imperij, temporis dimensione duntaxat à lustris distincta. Reapse enim nihil aliud erant quàm iterata quinquennia vt hic Statius loquitur. Mamertinus in Genethl. Maximiani Aug. *Neque enim orationis eius quam composueram faciam iacturam, sed eam referuo vt quinquennio rursus exacto decennalibus tuis dicam, quoniam quidem omnibus lustris prædicandis communis oratio est.* Nazarius loco citato. *Quintumdecimum annum maximus princeps salutaris imperij degit, sed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus.* Hæc festa Augustum habent authorem, qui victo Antonio, cùm desiderio priuatæ vitæ redditurus imperium videretur, illud in decennium duntaxat recepit, quo exacto per singula deinceps lustra principatum sibi prorogari passus est, nec inuitus. Dio lib. 53. & 54. Zonaras 2. Annalium.

PALLADIO TVA ME MANVS INDVIT AVRO. Infrà Lytico ad Seuerum,

——— *huic mea carmina*
Regina bellorum virago
Cæsareo perarauit auro.

Quæ

Quæ referuntur ad præmia, quę victor in Albano certamine obtinuit, ideoque Albanum aurum dixit Martialis epigra.t. lib.4. Palladium autem hic vocatur, quia certamen illud
A Palladi à Domitiano institutum, teste Suetonio c.4. Domitiani.

IN VIAM DOMITIANAM

SYNOPSIS.

Latus Appiæ viæ quà spectat Baianum Cumanumque sinum ex affluxu vicinorum fluminum præcipue Vulturni multas sordes contraxerat, quę impeditum iter & difficile reddiderant. hanc igitur Domitianus muniuerat locis palustribus varia materie iniecta exsiccatis & fluuiorū aquis aliò deriuatis. Quod opus vnicum est huius syluæ
B argumentum, in qua cæteris Domitiani operibus modicè percursis istius vtilitatem & magnitudinem amplificat, illam à compendio & facilitate itineris, hanc à labore improbo ac multiplici operarum, qui vel Athon Isthmumque perfodere posset. Adiungit Prosopopoëiam Vulturni gratulantis eidem principi, quod ab eo cohibitus intra legitimum alueum & pontem impositum pati coactus fuerit. mox etiam inducit Cumæam Sibyllam ore fatidico immortalem ipsius gloriam concinentem. De hac via Martialis epigramma 104. lib.9.

DVX ADVENA PEIERANTE BELLO. Spartacus, vt ait Domitius. Ego potius Annibalem interpretet, ob illud adiunctum *Peierante bello*. Nota enim est Punica perfidia, quam & in Annibale priuatim notat Statius in Hercule Vindicis.

Semper atrox dextraperiuroque ense superbus
Annibal.

Non obstat mentio iam facta Lybicarum catertuarum versu superiori, est enim sententiæ dilatatio poetis & oratoribus vsitatissima.

INDVCIT NERO SORDIDAS PALVDES. Sueton. in Nerone c.31. *Fossam ab Auerno ostiam vsque vt nauibus nec tamen mari iretur longitudinis per centum sexaginta milliaria latitudinis qua contrariæ quinqueremes commearent inchoauit.* Marsilius in Amphith. Martialis, hæc Statij verba vi-
C detur referre ad duas Neronis naumachias, sed minus rectè. Sermo enim hic de Campaniæ tractu & Appia non de spectaculis naumachiæ Romanæ.

HIC COENO POPVLI VIAS GRAVATAS. Ita legere visum, non vt Domitius, *Cœno hic populeo*: nec vt Geuartius *hic scheno &c.* Quid opus fuit vocem Græcam obtrudere, cum Latina suppetat & sententiæ longe sit aptior? Non enim grauantur viæ arundine aut iunco leuissimo sed potius cœno. Sic infra in prosopopoeia Vulturni,

Nec me puluereum grauemque cœno.

Ratio firmat nostram coniecturam. Hæc enim via quam Domitianus instaurauit præcipuum damnum à vicinis aquis acceperat, quarum alluuione certum est cœnum contrahi. Nihil ergo necesse erat Bernartio aduocationem postulare. Certa enim est & aptissima illa lectio.

NVTABAT CRVCE PENDVLA VIATOR. Crux pro suspensione in loco decliui & præcipiti. Eo sensu cruces Caucasorum alludens ad Promethei fabulam dixit Tertull. lib.1. aduersus Marcionem, & crucem virgineam Andromedæ Manilius li.5. quoniam hæc puella affixa in prærupto scopulo pependit. significat ergo Statius hanc viam fuisse antea difficilem & periculosam viatoribus quorum currus ibi diutius hærebant & nutabant ob inæqualitatem itineris confragosi & decliuis. vt fieri solet, ideoque crucem pendulam vocat, quoniam in talibus locis currus & vecti quodammodo pendent. Potest etiam

crux apud nostrum authoresque laudatos exponi non pro suspensione, sed pro loco ipso in quo aliquis pendet aut hæret affixus. Lipsius lib. 1. de Cruce c. 2. Et is locus pendula crux dicetur, id est imminens & altitudinis spectandæ: quo sensu pendentes scopuli vocantur Virgil. 1. Aeneidos. & Statio silua 2. lib. 2. Ouidio in epist. Ariadnes. Domitius iugum hic exponit quod speciem crucis efficit & pendere solet, non absurde: quanquam lignum illud bicorne, quod temoni supponitur potius intelligendum videtur cui crucis nomen conuenire docet idem Lipsius loco citato. A

AXE VECTVS VNO. Quare? quia vt subiungit mox.

Sorbebatque rotas maligna tellus.

Nempe in via tam inæquali pars currus & altera rotarum depressa iacebat, ita vt vnicus axis emineret.

PIGER VIATOR. Quia *Tardi bant iter orbitæ tacentes*. Orbitæ tacentes vocantur ob cœnum quod currus sine stridore calcant. Via autem illa cœno erat grauata.

GOMPHIS. Alij malunt *Tophis*. Nihil absurdi est in recepta lectione. γόμφος clauum significat, & figuratè quamlibet coagmentationem. Domitius.

LECHEAS NISI VETARENT. Variæ sunt huius loci lectiones quas ista nolim permutare. Isthmum Corinthiacum terminant vtrinque duo promontoria, hinc Lechiæ seu Lecheæ rupes, hinc Cenchreæ. Lecheæ saxosæ & asperæ prohibent Isthmum perfodere, qui si hoc impedimentum abesset, ait poëta, facile posset ab operariis viam Domitianam munientibus cum vtroque freto misceri. Domitius legit *Nisi Lechia vetarent*, sed hanc μετάθεσιν illi nimis scrupulosa anxietas expressit. Iuuat imprimis illam expositionem quod ait Phranzes lib. 1. Chronici c. 38. in Isthmo viam fuisse cognomento Asperam. Sed is author eruditis interpretibus non erat fortasse ad manum, ex quo etiam didici Isthmum Hexamilium vocari, à dimensione vt opinor sex miliarium longitudinis aut latitudinis. B

BELLIGER OBVIOSQVE CVRRVS. Rectius legunt nonnulli. *Belligeros piosque currus.* Sed præualet, meo iudicio, Panillonij correctio, *obuiusque. Belliger & obuius* epitheta sunt *contraria*, sed laudabilia & principi socianda. Obuius enim est ciuilis & comis, vt apud Plinium epist. 10. lib. 1. de Euphrate Philosopho. *Est*, inquit, *obuius & expositus, plenusque humanitate*.

IN EPIST. AD MARCELLVM. C

SYNOPSIS.

HÆc epistola missa Neapoli Romam ad Marcellum quem familiariter Statius percontatur quid rerum gerat monetque vt flagrantissima æstate paulisper animum corpusque relaxet curis laboreque forensi fatigatum, sic fore vt ad intermissos actus redeat alacrior. Laudat in eo naturæ dotes vtrique militiæ idoneas, aperit suos in poëtico studio progressus, manum se de tabula sustulisse in Thebaide delineanda, & aliud opus nempe Achilleidem meditari, postremo quanti amicitiam Marcelli faciat candide testatur.

APPIA CRESCIT IN LATVS. Vide initium superioris syluæ.

FVGA VERIS AQVOSI LAXAT. Barthius corrigit *Lassat*, frustra: Non enim terra proprie fatigatur fuga veris, id est, æstate sed potius laxatur, scilicet dum immodico calore & siccitate dehiscit.

HOS PRAENESTE SACRVM, &c. In his locis Romani proceres solebant æstiuare vt Strabo docet. Horatius Ode 4. lib. 3.

——— seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum
A *Seu liquida placuere Baiæ.*

Poëta Venusinus frigidum Præneste vocat, Statius sacrum, ob oracula credo & sortes decantatissimas.

FLAMMABIT TACITE REPETITA PARVMPER DESIDIA. Infrà: *Maior post otia virtus.* Conuenit illud Valerij Maximi. *Vegeta ingenia quò plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.* Vide pulchra in hanc rem apud Senecam vtrumque, in præfat. Controuerſ. de Porcio Latrone, & libro de tranquill. c. vlt. Nomen desidiæ honestiore sensu pro otio hic accipitur & infrà in Hercule Vindicis, item apud Tacitum in Agricola. Hanc Socrates ipse commendabat & sororem libertatis vocabat. Aelianus libro 10. var. Historiar. capite 14.

NON MISCENT IVRGIA LITES. Feriæ nimirum sunt, & rerum iudicandarum vacatio vt loquitur Seneca in Menippæa. Hæ feriæ dabantur ob messes & vindemias vt in iure docemur. De æstiuis messium feriis Gellius lib. 9. Plinius lib. 8. epist. 21. *Iulio mense,* inquit, *maxime lites interquiescunt.* De feriis vindemiarum Diuus Cyprianus ad Donatum initio. Has vocat Agathias lib. 5. οἰνωμάτων συμπόσια, vt putat Casaubonus in appendice ad Sueton. Augustum: Cuius viri authoritas, quanquam apud omnes meritissimò
B summa, tamen hic apud me non erit Pythagoræa. Primum quia vox οἴνωμα, siue οἴνωμα quam substituit apud Agathiam, vix apud vllum authorem reperitur. Sed esto, finxerit illam Græcus historicus secundum Analogiam, an idcirco οἰνωμάτων συμπόσια erunt feriæ aut festa vindemiarum? Certè feriæ à Festis discrepant, vt Grammatici ex Festo cognoscunt. Et vindemiarum feriæ nihil aliud sunt nisi dies quibus vindemiæ datur opera quas Cyprianus loco citato vocat solennes anni fatigantis inducias. At de Festo loqui Agathiam Casaubonus ipse fatetur eo loco, vbi tamen interpretationem illam sic inculcat, vt nullum statuere videatur discrimen inter ferias & festa vindemiarum. Puto autem si correctio magni viri admittatur, exponi posse οἰνωμάτων συμπόσια Festa vinalia quibus Ioui noua vina Romani libabant priusquam ea gustarent, vt docet Festus in voce *Calpar.* Nec obstat quod Agathias hanc solennitatem reiicit in exitum Autumni, cum Vinalia Aprili tantùm vel Augusto mensi vulgo assignentur: Hæc enim vinalia sunt alterius generis. Et quis credat Romanos aut Byzantinos (de his enim loquitur Agathias) illam libationem in Aprilem aut Augustum distulisse? valde fastidiosi fuissent populi qui nouum vinum prius non gustassent. Tamen similem morem fuisse Atheniensibus non inficior, docente Plutarcho lib. 3. symp. q. 7. Itaque hic ἐπέχω Casauboni sententiam examinasse contentus. De feriis vindemiarum, & Festis, Lampridius in Heliogab. & Paulus
C Diac. c. 6. lib. 3. Longob.

MARONABIT IN MARGINE TEMPLI. Templum generali notione hic accipitur, & alibi, vt iam monuimus. Sepulchrum itaque Maronis hic intellige, quod Neapoli esse constat ex Plinio lib. 3. ep. 7. Illud vero vt templum Silius Italicus adire solebat teste eodem scriptore.

VESBIVS. Contraxit metri causa nomen *Vesuuius.* De incendio huius montis & vastitate quam intulit, lege Martialem epig. 124. lib. 1. & Plin. epist. 16. & 20. lib. 6.

PROCVL ISTA TVIS TIFATA TEATE NEC MARRVCINOS AGAT, &c. Non male quidam pro *Tifata* legunt *sint fata.* Nondum apex Vesuuij cessat minari, ait Statius, sed vtinam hæc damna procul absint ab agro Teatino, nec Marrucini montes tantum furorem concipiant vt montem illum imitentur. Teate est Marrucinorum opidum in Italia Plin. lib. 3. At Tifata locus seu lacus prope Capuam, de quo Festus. Fuit & eiusdem nominis vetus opidum in Latio, quod ætate sua nihil præter nomen habuisse idem Plinius testatur lib. 3. cap. 5. Hic autem poëta Marrucino agro diserte & nominatim vastitatē deprecatur, quoniam Marcellus ad quem scribit ibi aut natus erat aut prædia possidebat. Et sane prædia Marrucina cuiusdam Marcelli memorat Plinius in terrarum ostentis loco citato vt obseruauit Geuartius.

Nec enim Tirinthivs almae Pectvs amicitiae. Variè tractat hunc locum Geuartius quà emendando, quà interpretando. Duriusculæ videntur aposiopeses quas probat, quibus præferrem coniecturam illius quem citat Grotij legentis.

——— nec enim retinentius almæ
Pectus amicitiæ.

Sed puto Statium scripsisse.

——— nec enim te rectius alma, &c.

Imperiti exscriptores *Te rectius* in *Tirinthius* videntur mutasse. Nam vt hanc vulgatam Lectionem tuear, adduci non possum vllius authoritate. Pectus amicitiæ pro amico dixit Martialis lib. 9. ep. 15.

Hunc quem cœna tibi quem mensa parauit amicum
Esse putas fidæ pectus amicitiæ. A

IN LYRICVM AD SEPTIMIVM SEVERVM.

Synopsis.

IN Albanum prædium quietis & studiorum gratia secesserat. Ibi carmen hoc Septimio Seuero scripsit, quem laudat ab ingenita dexteritate, quod cum sit Africanus, ita tamen habitus, sermones, moresque Italos referat vt Romanus non peregrinus videatur. Præterea eloquentiam probitati iunctam & pacis studium in eodem commendat. B

Parvi beatvs rvris honoribvs. Sic beatus paucis iugeribus Corycius ille senex, in 4. Georg. & Veronensis ille de quo lepidum extat epigramma Claudiani. Ausonius.

Paruum hæredıolum fateor [illegible] nulla fuit [illegible]
Parua vnquam æ[illegible] [illegible] addo nec vnanimis.

Eam ob rem rus beatum vocat Horatius ep. 10.

Frondosa svpra hernica. Hernici dicti à saxis quæ Marsi Herna vocant. Festus lib. 7. Vnde & petrosa hernica dici poterant.

Cvribvs vetvstis. Sabini gens antiquissima Italiæ, quorum vrbs præcipua Cures. Virgil. lib. 7. C

Ecce Sabinorum prisco de sanguine regum.

Iidem populi seueritatis & probitatis fama celebres, vnde Virgilius lib. 8.

——— [illegible]uribus que seueris.

Cic. epist. ad Treb. *Modestus eius vultus sermoque constans habere quiddam à Curibus videtur.*

IN HERCVLEM VINDICIS.

SYNOPSIS.

INter plurima signa quæ mira arte elaborata vidit apud Vindicem, præcipue Herculem eius deprædicat à Lysippo nobili statuario effictum quem primus Alex. magnus

possedit & tanquam genium mensæ tutelarémque Deum veneratus est, postea Annibal, A tum Sylla, denique Vindex obtinuit à quo sanctius & honorificentius quàm antea colitur, quippe cum facta eius heroica talis possessor carmine sit celebraturus. De hoc Hercule extant Martialis epigrammata duo. libr 9. Vocatus est epitrapezios quia mensæ præerat quasi eius tutela vt infrà dicitur. Mensas enim impositione talium sigillorum necnon salinorum veteres sacras faciebant. Arnobius lib. 2.

Bernattius tota fere hac sylua capit muscas, siquidem omissis grauioribus, expositionum minutias consectatur.

SEPTIS. Septa locus in campo Martio, non tantum comitiis sed ciuium quoque deambulationi destinatus, vt qui vicino Tybride apricus esset, cælóque salubriori inuitaret. Seneca 2. de ira. *Cum videris forum multitudine refertum & septa concursu omnis frequentia plena.* Martialis lib. 9. ep. 60.

In septis Mamurra diu multúmque vagatus
Hic vbi Roma suas aurea vexat opes.
Inspexit molles pueros, oculisque comedit.

Strabo lib. 5.

B INCONSVMPTA MANET. Spectat huc Timothei apophtegma de Platonis conuiuio apud Cic. 5. Tuscul. Idem in Phædro conuiuia sermonum vocat, & Cic. in Topicis epulas discendi. Sermo enim est pastus animorum suauissimus, vt ait Simocatta in procemio historiæ Mauricij.

QVIS MAGIS ANSER EXTA FERAT. Iecur anseris in cupediis & lautitiis præsertim arte culinaria factum atque auctum. Martialis lib. 13.

Aspice quam tumeat magno iecur ansere maius
Miratus dices hoc rogo creuit vbi?

Athenæus & Plin. lib. x. c. 22.

THVSVS APER GENEROSIOR VMBRO. Thusci apri meminit Iuuenalis

——— Mania Thuscum
Figat aprum.

Sed & Vmbriam hoc animali famosam innuit Catullus epig. in Egnatium hoc versu

Aut porcus Vmber aut obesus Etruscus,

Vbi hominem in Vmbria natum iocosè porcum Vmbrum vocat.

QVID PHASIDIS ALES, &c. Notantur delitiæ Helluonum, quas carpit Seneca non semel, sed memorabile est quod refert Latinus Pacatus in Panegyr. Theod. infami sæpe delectu scriptos in prouinciis aucupes dustásque sub signis venatorum cohortes militasse conuiuiis. Sic ingeniosa gula est.

C HIBERNA RHODOPES GRVE. Grues in Thracia plurimæ nascuntur, ibíque æstiuant, sed appetente hyeme auolant inde in Aegyptum, Lybiam aliásque calidiores plagas, quarum dispectu dicuntur hybernæ. Aelianus lib. 3 c. 13 hist animal.

AB ELYSIIS. Quia ab inferioribus locis, id est, à manibus lucis exordium emergit. Macrob. 1. Sat. c. 3.

ALTER CASTOR. Nota Castoris nomen pro Sole accipi, quod non temere alibi reperias. Nam ex Geminis cœlestibus alter dicitur ἀπόλλων qui idem Sol, vt obseruauit Ios. Scaliger in 2. Manilij Ratio facilis, quia Castores alternis oriuntur & occidunt vt Soles. Lege Macrob c. 21. lib. 1.

IVNCTAQVE VTINAM TIRINTHIA LVNA. Id est, vtinam nox illa triplicata fuisset vt olim in natali Herculis Tirinthij, quem ideo τριέσπερον vocat Lycophron in Cassandra. Iuncta Luna est continuata nox, Luna enim præest nocti vt in Genesi c. 1. Vnde interdum pro nocte eius nomen vsurpari apud poëtas diximus.

ARTIFICVM VETERES AGNOSCERE DVCTVS. Adeo nouerat Vindex picturæ & statuariæ artis genium vt visa aliqua imagine facilè posset ex ipsis ductibus aut lineamentis agnoscere artificem quarumlibet priscum, siue Apellem siue Phidiam & Lysippum aut alios, neque illi opus esset inscriptionem signo vel tabulæ appositam inspicere. In basi statuarum & imaginum artificis nomen inscribi solitum Martialis libr. 9. alijque docent,

& notum est priusquam Theognis nasceretur. Vide Dionem Chrysostomum in Rhodiaca.

LINEA QVAE VETEREM LONGE FATEATVR APPELLEM. Tangit historiam Protogenis & Apellis pictorum. Ille Rhodi viuebat, quò cum Apelles adnauigasset, auidus cognoscendi opera eius fama tantum sibi cogniti, continuo officinam petiit. Aberat ipse sed tabulam magnæ amplitudinis in machina aptatã pictutæ anus vna custodiebat. Hæc Protogenem foris esse respondit, interrogauitque à quo quæsitum diceret, Ab hoc, inquit Apelles, arreptóque penicillo lineam ex colore duxit summę tenuitatis per tabulam. Reuerso Protogeni quæ gesta erant anus indicauit: ferunt artificem protinus contemplatum subtilitatem dixisse Apellem venisse, non enim cadere in alium tam absolutum opus. Hæc Plinius lib.35 c.x.

DIADEMATA DEXTRA ABSTVLERAT. Ademptio diadematis est potestatis regiæ detractio. Constantius Britannioni eum is ad Imperatoris pedes accidisset, imperij insignia detraxit priuatúmque esse iussit Nicephor. lib.9. Contrà impositio diadematis, signum est concessæ regię dominationis Suetonius in Nerone. c.13. vbi de Tiridate Armeniæ rege. Latinus Pacatus in Panegyr. Theod. *Capiti diadema decutitur, totus denique homo* (Maximus) *artatur ad interitum*.

CASTAE GENIVS TVTELAQVE MENSAE. Hos deos mensarios & conuiuiales ante cibum inuocabant. Quintilianus declamator. *Habuisti honorem & illud humile limen intrasti & adisti mensam ad quam cum venire cæpimus deos inuocamus*. Sacras enim fuisse mensas veteribus docet Arnobius lib.4.

MOX NASAMONIACO REGI. Nasamones gens Libyca. Annibal hic indicatur, quem regem vocat, id est, ducem noster & Silius Ital. in Pun. Turnebus lib.29. c.35. aduers.

IN LYRICVM AD MAX. IVNIVM.

SYNOPSIS.

Blande compellat Max. Iunium suadétque vt relicta aurifera Dalmatia in Italiam redeat, ingratam sibi talis amici moram absentiámque testatus, sine quo musas suas ait frigere. Gratulatur eidem ob masculam ptolem qua familiam nuper exhilarauit, orbitatis incommoda ex occasione commemorans, hortatúrque vt puerum eloquentiæ imprimis artibus informet.

VBI DITE VISO PALLIDVS FOSSOR. Penetrant in viscera terræ fossores metallarij vt aurum præcipuam malorum materiem eruant, & pene refodiunt inferos auaritiæ exsecrandæ cuniculis. De tenebris fodinarum Plinius lib.33 c.4. In his multi testantur obuersari ferutatoribus species subterraneorum dæmonum, atque huc fortè spectant ea verba *Dite viso*. Porrò similis huic Statiano locus apud Claudianum in laud. Serenæ.

Effossis nec Pallidus Astur oberrat
Montibus, oblatum sacris natalibus aurum ...

VACVOS PENATES. Vacua domus dicitur in qua non sunt liberi. Sallustius de parricidio Catilinæ. *Pro certo*, inquit, *Creditur necato filio vacuam domum scelestis nuptiis fecisse*.

ORBITAS OMNI FVGIENDA NISV. Ob pœnas orbis & cælibibus irrogatas de quibus fusè Lips. in Tacitum. At Crotoniatis id genus hominum honestissimum habitum fuisse notat Petronius in Satyr. *In hac vrbe*, inquit, (*Crotone*) *nemo liberos tollit, quia quisquis suos hæredes habet nec ad cænas nec ad spectacula admittitur, sed omnibus prohibetur commodis, inter ignomi-*

niosos latitat. Qui vero nec vxores vnquam duxerunt nec proximas necessitudines habent ad summos
A *honores perueniunt.* Ea de re conqueritur etiam Seneca aliquoties, & Marcellinus libr.14. *Vilia omnia existimant prater orbos & cælibes nec credi potest qua obsequiorum diuersitate colantur homines sine liberis Romæ.*

QVAM PREMIT VOTIS INIMICIS HAERES. Tale votum est illud apud Persium.

Pupillúmque vtinam quem proximus hæres
Impello expungam.

CASTORE DEXTRO. Castor enim equitandi peritissimus vt notum est ex poëtis. Sidonius in Carm.x.

Pollux tum cestu laudatus, Castor habenis.

Propertius lib.3 eleg.13.

Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis
Hic victor pugnis, ille futurus equis.

OMNE MVNDI SENIVM REMENSVS. Innuit hunc Maximum Chronica scripsisse. Eodem sensu Corn. Nepos dicitur.

Omne æuum tribus explicare chartis.

apud Catullum epig.1.

B

IN SYLVAM AD IVL. MENECRATEM.

SYNOPSIS.

ALia gratulatio ad Iulium Menecratem noua prole auctum. Hic enim duos filios & vnicam filiam sustulerat, cuius fœlicitatis Statius participem esse cupit Neapolim & vniuersam Campaniæ oram tam claris ciuibus honestatam: nonnihil tamen amico irascitur quod tantum gaudium apud se dissimularit quem priuatim per literas certiorem facere & in partem lætitiæ vocare debuerat. Postremò parenti & liberis deos precatur propitios.

C PANDE FORES SVPERVM. Acumen Bulengeri lib.3 de Imp.Romano c. de nato Imperatoris filio, hos versus citantis. Sed & Persium ibidem pari iudicio laudat Satyra quinta, vbi ne verbum quidem in hanc sententiam reperies: imò neque in Sat. eiusdem secunda. Nam ibi de priuatorum natali Persius, vt hic Statius, loquitur.

LIBYCA INSIGNIS HASTA. Hasta pro imperio cuius est insigne. Sic hasta Centumuiralis pro iudicio Centumuirorum. Libyca ergo hasta est præfectura Libyæ.

HELENE IAM DIGNA PALAESTRIS. Ouid.in epist.Paridis ad Helenam.

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis fœmina mista viris.

Propertius lib.3.el.13.

Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.

De hoc more Lacænarum Xenophon & Plutarchus in Lycurg.

ALBANOQVE CADVM FVMO. Albanum vinum memorat Iuuen. Sat.5. & eius scholiastes, & Martialis lib 13.epig.109.cui lemma Albanum.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iulæo quæ sibi monte placet.

Mons Iulæus est Albanus. Commendat & Plinius idem vinum lib. 23. c. 1. & Horatius Ode 11. lib. 4. Ars veterum fuit, fumo maturitatem & quasi vetustatem vino conciliare. Columella lib. 1. Horatius Ode 8. lib. 3. A

Amphoræ fumum bibere institutæ.

Id verò improbat Plinius loco citato. Vinum, inquit, si sit fumo inueteratum, est insaluberrimum.

CVIVS ADHVC VOLVCREM LAEVA CERVICE SEDENTEM. Columbam, cuius augurio Parthenope Neapolin dicitur condidisse. lege Domitium.

VOTIVAM TACITI QVASSAMVS LAMPADA MYSTAE. Hic locus habet historiam. Cum enim Diotimus Atheniensium classem præter oram Campaniæ duceret, ex oraculo Parthenopæ rem diuinam fecit institutis ludis Cerealibus, quos ætate Timæi Neapolitani solemnes faciebant. Inde votiuam lampada Statius vocauit, quia votiui ludi facibus illustrantur. Parrhasius. Taciti Cereris mystæ dicuntur, ob arcana eius deæ sacra quæ prodere nefas. Horatius Ode 2. lib. 3.

— Vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ sub ijsdem
Sit trabibus fragilémque mecum
Soluat phaselum.

In his mysteriis faces iactari solitas præter Senecam tragicum docet Claudianus lib. 1. B

— Sanctásque faces attollit Eleusis.

Vbi nota obiter faces vocari, quas noster hic lampadas vocat: hæc enim nomina inuicem aliquando permutantur. Nam & idem Claudianus loco citato, lampadem Amori tribuit, itémque Statius sylua 2. cum alias faces isti numini attribui soleant, vt apud Ouid in Epicedio Tibull.

HANC LAMPADE PRIMA. Alij legunt *Hos lampade, &c.* vt Casaubonus in Suet. Augustum & Marsilius in eiusdem Flauios. Geuartius legit *hanc*, scilicet filiam Meneeratis, cuius occasione putat Statium hac sylua amico gratulari, vt sit sensus opes & originem permittete huic puellæ, patricio alicui nubere. Sed huic expositioni multa videntur obstare. Nam vt à primo eius capite ordiar, quo ille interpres ait, Statium occasione nouæ prolis fœmineæ amico gratulari, verba poëtæ planè contrarium sonant vt illa

— Cúmque tibi vagiret tertius infans.

Quibus poëta conqueritur quod nuntium nonæ sobolis amici Meneeratis non nisi vulgari fama acceperit, non ergo puella, sed puer illi recens natus fuerat: si enim filia edita fuisset, longè magis decuisset Statium ita scribere. *Vagiret tertia proles.* Deinde alia hæc verba. *Aptior his virtus, citius dabit illa nepotes*, clarè ostendunt, puellam nascendi ordine hanc nouam sobolem præcessisse. Cur enim dicitur datura citius nepotes: nisi quia maior est natu suis fratribus? vt omittam eandem comparari Lunæ inter duo minora sidera noctu lucenti. Nec deest quod alteri parti expositionis obiiciatur. Siquidem cum ius connubij inter patricias & plebeias familias iam inde à temporibus Canuleij fuerit teste Liuio, libr. 4. quid opus fuit Statio dicere opus & originem permittete huic virgini patricias intrare fores? id est, vt exponit Geuartius patricio iuueni nubere? Idem per lampadem primam, nuptias primas interpretatur, quia lampades in nuptiis seu faces vsitatæ. Marsilius in Suet. Vespasianum longè aliter hunc locum exponit, scilicet de iure laticlaui quod senatorum liberi absque indulgentia principis habebant, non autem liberi equitum. Istis enim necesse fuit ius illud ab Imperatore impetrare, quod vt obtinerent duo requirebantur, census, & splendor generis, vt colligi potest ex Plinio epist. 3. libr. 1. vbi elegans scriptor petit à Traiano vt Voconium Romanum in Senatorium ordinem promoueat, quod vt impetret commendat eum à natalium & facultatum splendore. Sic hodie videmus solenniter inquiri in nobilitatem eorum qui in regale collegium equestris militiæ cupiunt cooptari: cæterum per lampadem primam, ætatem puerilem poteris interpretari, cum vitæ lampada dixerit Lucretius. & Martialis epig. 60 libr. 11. Nam luminis significatio ad vitam plerumque transfertur: Mens ergo Statij, si Marsilium sequimur & Casaubonum, diuitias & nobilitatem præbere aditum liberis Meneeratis ad C

ius

ius lati claui si modo indulgentia principis fulciantur. Verum & hanc interpretationem
A cogitanti multiplex scrupulus obiicitur: Primum enim hic non agitur de veste senatoria seu lato clauo, sed de ingressu in curiam: tametsi vtrumque ius connexum fuisse videtur vt apud Suet. c. 38. August. Deinde βαττολογία hoc pacto in Statium induceretur, si *Patricias intrare fores* exponeremus cum viris doctissimis curiā ingredi, sequitur enim mox, *Romulei limen pulsare senatus.* Nec vero confugiendum est ad synonimiam familiarem poëtis: In hunc enim locum non conuenit, vbi Statius orationem manifestè in membra diuersa partitur, eáque diuidit longa parenthesi interposita. Equidem longè concinnior erit sententia si diuisionem admittamus, & prima illa verba de nuptiis senatoriis aut patriciis, posteriora de facultate adeundi senatus interpretemur. Fateor igitur me hac in parte assentire Geuartio & cum eo legere.

Quippe & opes & origo sinunt, hanc lampade prima
Patritias intrare fores, hos pube sub ipsa &c.

in hunc sensum. Fortunarum generisque claritudo iubent hanc filiam Menecratis spectare nuptias primas alicuius patricij ac nobilis, eędémque res ipsius filijs spem ostentant indulgentiæ principis qua in curiam admittentur. At, inquies, lex vetus promiscuum ius connubiorum inter dissimiles familias permittit, vt non opus sit nobilitate aut diuitiis. Permittit quidem lex, sed eiusmodi beneficio & concessione homines rarò vtuntur,
B opes enim & prosapiam in nuptiis contrahendis spectare potissimum solent, teste Plinio lib. 1. epist. 14. Itaque nihil absurdi est in sententia Statiana, quam vereor ne verbosius explicarim. sed tanti est mentem politissimi vatis indagare. Locum Plinij Marsilius inutiliter citat, cum ibi agatur de ordine ipso Senatorio, hic autem de insignibus tantum aut priuilegiis illius ordinis, quę res multum differunt. Non enim omnes laticlauij aut quibus curia patebat erant senatores, vt notum est.

IN RISVM SATVRNALITIVM.

SYNOPSIS.

C

DEcembri libertate auaritiam Plotij perstringit, cui per Saturnalia donauerat libellum, sed homo vrbanus amicum simili præmio velut ex lege talionis fuerat remuneratus nullo nempe libello iampridem eum blattis tineisque luctanti, pleno turis & inficetiarum. Negat illi materiem liberalitatis sed animum potius defuisse, cum pilea mantilia chattas bulbos & alia vilissima munuscula sine magno rei domesticæ detrimento mittere licuerit, monet ne pro istis versibus alios hendecasyllabos solita liberalitate remittat.

BINIS DECORATVS VMBILICIS. Vmbilici librorum erant ornamenta quædam è ligno, osse, vel cornu, similiue materia, quæ compactis demum voluminibus & absolutis apponebantur: hinc illæ locutiones. *Ad vmbilicum ducere*, Horat. Ode 14 Epod. *Ad vmbilicum peruenire* Martiali lib. 4. epig. vlt. quæ operis consummationem denotant. Porphyrio in Horat. Vmbilici dicti sunt quod in medio ponerentur, inquit Rhodiginus libr 15. antiq lect. Vel potius, vt opinor, quod vmbonis speciem referrent tumore quodam eminentes. Vsum eorum adhuc retinent libri sacri in templis, in quorum exteriore superficie ac dorso cernimus depactos ex ære vmbilicos. Iidem cornua interdum vocantur. Martialis lib. 11. epig. 108.

Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum.

L

Nimirum quia ex cornu plerumque fiebant. Lege Pierium in Hierogl & Turnebum in aduers. Binos appositos fuisse ob geminam frontem seu superficiem confirmat Martialis epig.2.lib.3. A

AVT THVS NILIACVM PIPERVE SERVANT. Hæc pœna librorum aut carminum ineptorum, damnati ad salariorum aut similium mercatorum scrinia, qui suas merces chartis infelicibus inuoluebant, Martialis epig. ad librum suum lib.5.

Si damnauerit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit.

Idem alio epigrammate ad eundem libr 3.

Ne nigram cito raptus in culinam
Cordillas madida tegas papyro
Vel thuris piperisque sis cucullus.

Nam his præcipuè meteimoniis destinabantur. Horatius epist.1. lib.2. Porro thus Niliacum Statius vocat,quia thus in Aegypto plurimum interpolatur, vnde Romam aduehi solebat. Plinius libr.12.c.13. Alioqui verum thus nec adulteratum soli Arabiæ peculiare docet idem scriptor.

BYZANTIACOS COLVNT LACERTOS. De lacertis piscibus Plin.lib.32.c.vlt.

SEQVENTI ANNONAE. Rectius forte legas *frequenti*, vt notat Geuartius. Arbitrum annonæ vocat Statius quem alij præfectum vel curatorem annonæ ,vt Tacitus 1.Annal. & veteres inscriptiones. Vide Lipsium 1.Elect c.8. Nune venit mihi in mentem tueri priscam lectionem *sequenti* , vt intelligatur Plotius in sequentem annum præfectus annonæ designatus. Hæc enim cura fuit annua Dio lib.54. B

PRAEFECIT STATIONIBVS VIARVM. Notat curam viarum de qua Suet.in Augusto c.37.

BRVTI SENIS OSCITATIONES. Verisimile est notari familiarem Ciceronis , vt coniicit Geuartius ex authore libelli de caussis corruptæ eloquentiæ.

CAPSA MISERI LIBELLIONIS. Libellio est venditor librorum qui & librariolus. Tales sæpè non in taberna,sed in capsa totam librorum suppellectilem gerunt. Turnebus lib.20.c.32.Pueri etiam ituri in scholam in capsa libellos suos eñdebant. Iuuenalis Sat.x.

ASSE CAIANO. Assem Caïanum exponit idem Turnebus lib. 20 coemptionalem, quo nimirum coniuges in nuptiis contrahendis se mutuo emebant dicis causa , vnde hic pro vili pretio accipitur. Formula illius mimiex coëmptionis nota est antiquariis. Caij & Caïæ nomina in nuptiis coniugibus tribui solita testis Fabius libr.1. & Plut. in quæst. Rom.problem.30.

CAESIS PILEA SVTA DE LACERNIS Ex lacernarum detritarum lanis,pilea pauperibus confici docet Martialis lib.14.in lemmate. *Pileus.* C

Si possem totas cuperem misisse lacernas
Nunc tantum capitis munera mitto tuo.

THEBAICAEVE CARICAEVE. Thebaicæ sunt palmæ generosiores quę & Thebaides Plinio lib.13.c.4. Palmas inter Saturnalitia munera & strenas memorāt Ouidius & Martial.

TVRBINE CONDITVS RVENTI. Turbo ruens est inuersus,qui metæ figuram refert & pro ea sæpe accipitur: vnde Plinius lib.2.figuram vmbræ terræ ait esse similem metæ ac turbini inuerso quando mucrone tantum ingruat. Itaque metam Martialis vocat quem Statius turbinem,epig.28.lib.13.

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,
Si maiora forent cottana,ficus erat.

In meta igitur seu vasculo ad instar metæ seu turbinis figurato tales fructus seruabantur. Potest etiam turbo ruens exponi,qui firmiter consistere erectus non poterat:quales etiam hodie fiunt è iunceis aut virgulis tenuibus inter se textis,quod puto Martialem per tortam metam significasse.

PRVNORVM GLOBVS ATQVE COTTANORVM. Hæc duo coniungit etiam Iuuenalis Sat.3.& Martialis ep.52.lib.7.

Omnia misisti mihi saturnalibus Vmber
Munera,contulerant quæ tibi quinque dies.

Bissenos triplices & dentiscalpia septem:
A *His comes accessit spongia, mappa, calix.*
Semodiusque faba cum vimine Picenarum
Et Laletanæ nigra lagena sapæ.
Paruáque cum canis venerunt Cottana prunis.

Sunt autem Cottana ficus Syriacæ minores Plin.lib.13. Hinc parua Cottana dicuntur Martiali supra & lib.4.epig.44. Vox est Syriaca. Casaubonus in Athenæum.

BVLBORVM TVNICAS. Hos & inter Saturnalia dona numerat Martialis lib 1.ep.126. Venerem stimulare dicuntur. Plin.lib.20.c.9.

COCHLEARVM. Cochleæ quoque Saturnalibus datæ. Martialis loco proximè citato. Bene reprehendit Beroaldus eos qui testudines hic interpretantur.

NON LVCANICA, NON GRAVES FALISCI. Martialis lib.1.epig.126.

Et Lucanica ventre cum Falisco.

E Lucanis enim populis illæ cupediæ porcorum, vt idem docet.lib.13.epig.35.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ.

Horatius quidem Lucanum aprum commendat. Sat.8.lib.2. Porcum denique Saturni diebus datum fuisse discimus ex Martialis lib.14.

B PANES VIRIDANTIS APHRONITRI. Aphronitrum spuma nitri. Martialis epig.58. lib.vlt.& Plinius lib.31.c.x. vbi ait illud in pastillis afferri solere: Quam ob rem panes Aphronitri Statio dicuntur. Panes vero non è frumento tantum, sed alia quoque materia per similitudinem appellantur, vt obseruauit Casaubonus in Suetonium.

PASSVM DEFRVTA. Seruius hæc duo non distinguit, sed eius censor Beroaldus palam discriminat ex Columella Plinio & Palladio in hunc modum. Passum ex vua fit quam Sticam vocant, nos Apianam. Vuæ diutius in vite sole aduruntur aut oleo feruente, alij siccant in Sole vuas expensas, donec paulo amplius dimidium pōdus supersit, arida deinde acina in dolium coniiciunt, eodem mustum adiicientes, ita vt grana submersa sint, quę vbi combiberint sęque impleuerint prælo premuntur, & ita vinum generosissimum tollitur. Passum nuncupatur à patientia, qui autem volunt secundarium passum facere, adiiciunt vinaceis tantum aquæ puteanæ quantum ex prima pressura passi fluxerit, & hoc quidem esse crediderim quod neoterici lingua vernacula Maluaticum appellant quod generosissimum ex insula Creta his temporibus mittitur, & antiquitus mittebatur quod abundè declarat distichon Martialis cui lemma. *Passum* lib.13.

Gnosia Minoæ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi, quod mulsum pauperis esse solet.

C Defrutum vero vinum est musto vsque ad dimidiam partem decocto à deferuendo dictum. Hæc Beroaldus.

QVANTVM VEL DARE CEREOS NITENTES. Alij *Cereos olentes.*

OLLARES ROGO NON LICEBAT VVAS. Plinius de vuarum differentia c.1.lib.14. *Durant aliæ per hyemem pensili concameratæ nodo: aliæ in sua tantum continentur anima ollis fictilibus & insuper doliis inclusæ stipatæ vinaceis circumsudantibus.* Hine patet quæ sint ollares vuæ.

TENVESVE CODICILLOS. Martialis in lemmate. PVGILLARES CITREI. lib.14.ep.

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas.

Duplices, triplices, quincuplices tabellæ seu pugillares à sectione varia nomen habent.

SYNTHESIN. Synthesis genus quoddam vestis, vt apud Martialē lib.1.epig.146.& libr.2.epig.46.& lib.14.epig.1 & 141. Hic tamen diuersum quid significat cum opret poëta synthesin calicum atque cacaborum. Martialis epig.126.lib.1. eodem sensu nomen hoc vsurpat. Et crasso figuli polita cœno.

Septenaria synthesis Sagunti.

Vnde crediderim synthesim non vnum vas fictile, quod ait Domitius, sed plura hic significare & Gallica voce exprimi posse: *Vn paquet.*

CACABORVM. Gloss Cacabū χύτρον. At Cōment. Iuuenalis patinam interpretatur. Cum glossario consentit Paulus l.18.ff. de instrum.leg. vbi docet exiguum esse discrimen inter cacabum & aënum.

Cæterum de his Saturnalitiis muneribus meminit quoque Martialis lib. 1. epig. 116. & lib. 7. epig. 71.

ALBORVM CALICVM. Albos calices dixit ad pretium extenuandum, quasi diceret, simplices & sine vllo artificio calices: quo sensu parmam albam dixit Virgilius, ἀσπίδα λευκὴν. Nicetas in Ioanne Comneno. Vide infrà in protrept. Crispini ad illud. *Nubigeros clypeos.* A

IN EPIST. LIB. V.

VXOREM VIVAM AMARE VOLVPTAS. At Romanus Imperator aiebat vxoris nomen esse dignitatis, non voluptatis.

LATVS OMNE DIVINAE DOMVS. Latus pro lateronibus seu ministris vt apud Martialem lib. 6. epig. 67.

Inter Baianas raptus puer occidit vndas
Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus. B

IN ABASCANTII PIETATEM.

SYNOPSIS.

ENcomium Abascantij, qui Priscillæ coniugis manes pijs assiduísque lachrymis prosequebatur. Vtriusque egregias dotes memorat quibus Domitiani gratiam promeruerunt, præcipuè coniugalem affectum extollit. Verba adiungit morientis Priscillæ quibus maritum solatur ac monet: istius denique luctum & extremum pietatis officium in amantissimam coniugem commendat, quam exequiis sumptuosis honestauit.

SIMILES FINGERE CERAS. Lege Plin epist. 7. lib. 4. C

SERA QVIDEM TANTO STRVITVR MEDICINA DOLORI. Superuacua sunt tarda solatia, vt ait idem præfatione lib. 2. Notum est illud Tiberij ad Ilienses legatos de quo Suet. c. 52. in eius vita.

INIVSTOS COELICOLAS. Audax veterum impietas & capitalis. Quadrigarius apud Gellium. *Hoc maximè*, inquit, *Cernitur deorum iniquitas quod optimum quemque non finunt inter nos perennare.* Is Christianè refellitur à Lipsio lib. 1. de Constantia.

OMNIS MATERTERA. Omnis Musa. Sermo hic de Orpheo, cuius mater Musa Calliope, itaque cæteræ octo sorores materteræ.

MATER ACHILLEIS HYEMES AFFRANGERE BVSTIS. Hyemes pro vndis maris, vt alibi sæpè: has vero Thetis filij busto affricabat, quippe Nereis salis æquore madida, vt de Venere anadyomene canit Ausonius.

NVPTVMQVE PRIOR. Nuptum in accusandi casu pro nuptiis posuit. Prior, inquit, nuptias passa est Priscilla, alteri enim marito iuncta fuerat, post cuius excessum nupsit Abascantio. Nubere non modo feminæ dicuntur sed etiam viri Iuuenal. Sat. 2.

——— *officium cras*
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ causa officij, quid quæris? nubit amicus.

Memini etiam me apud Tertullianum alicubi legisse hoc verbum masculis eodem sensu
A & quidem honesto attributum, contrà regulas Grammatistarum, quæ tanti non sunt vt Iuuenalem ac Statium impropriæ locutionis arguere possint.

MYCENAEO CONNVBIA POLLVIT AVRO. Notat Fabulam Thyestæ qui fatalem illum arietem aureum fratri vna cum vxoris affectu subduxit. Seneca in Thyeste.

NIMIVSQVE IN MORIBVS HORROR. Talis in Catone Vticensi fuit, vt narrat Cic. pro Mur. Hos vero tetricos mores vxorem non decere monet Plutarchus in præceptis Connubij.

DIMITTERE IN ORBEM ROMVLEI MANDATA DVCIS. Ne Pitho quidem mihi persuadeat officium magistri epistolarum hic describi, tametsi fuit magnæ dignationis, sed amplius quoddam munus & cura numerosior vt verbis poetæ vtar, haud dubie exprimitur, cuius nomen exquirendum est. Hoc autem duplex, Antiquum & nouum. Antiquum nomen Cura annuli. Colligo ex Iustino in extremo lib. 43 scribente Trogum fuisse sub C. Cæsare magistrum epistolarum, & legationum, & habuisse annuli curam: quas dignitates videtur Statius Abascantio item tribuere. Nouum autem illius officij nomen est Cancellarius Latinis, Græcis logotheta, nam hæc duo non distinguit Nicetas lib. 7. de rebus Man. Comn. Curopalates quidem scribit magnum logothetam omnia mandata disponere & bullas aureas quæ ab Imperatore mittuntur ad reges Sultanos & Toparchas, vbi interpretor per bullas aureas diplomata aut mandata annulo signatorio principis notata: Itaque logotheta Byzantinis idem munus obiuit, quod Curator annuli siue Cancellarius olim Romanis, & hodie Gallis, qui talem dignitatem vernaculè vocant, *Garde des Seaux*. Nec enim aliter accipio curam annuli apud Iustinum loco citato. Cuius præcipuum officium est ac fuit, opponere sigillum regium diplomatibus & mandatis principalibus, quod videtur expressisse idem Nicetas lib. 1. Manuelis, vbi Hageotheodoritem vocat, *μελιδωνὸν μεσιτεύοντα, καὶ οἰκείων ὑποδραστῆρα διαταγμάτων*, constitutionum Imperatoris sequestrum & ministrum. Hunc ergo opinor Statium in animo habuisse, vel forte primatum amanuensem seu scribam principis, vel magistrum memoriæ, vel quæstorem palatij his omnibus nobiliorem, de quibus mox dicendum.

B

LAETAS PILA ATTOLLENTIA FRONDES. Lauri ramos intelligit, quibus tela militum in triumpho insignita. Martialis lib. 6.

Publica victrices testantur gaudia chartæ
Martia laurigera Cuspide tela virent.

MVLTAQVE FVMOSA SIGNATVR LANCEA PENNA. Obscurus locus, quem illustrare nititur Lipsius expungens *τὸ Lancea* & substituens *Laurea*, quod non placet. De lauro enim
C Statius superiore versu, vbi lætas frondes nominauit. Geuartius symbolam suam confert, legitque *famosa*, vt sit sensus: Multa laurea, inquit, i, multæ literæ laureatæ famosa penna notantur, quia nuntij olim pennas in capite gestabant. Sed neque eius correctio necessaria, nec interpretatio satis proba. Constat enim his versibus latè describi officium & curam Abascantij in aula Imperatoria. Quid igitur pennati nuntij ad hunc locum? Nisi forte illis præfuit Abascantius. Sed alia mens Papinij, quam felicius videtur Domitius indagasse, cum ait Abascantium fuisse principem scribarum ad negotia arcana Imperatoris, & retenta veteri lectione, pennas hic exponit addi solitas lanceis & missilibus telis vt volucre ferrum fieret. Itaque hunc locum ex Domitio licebit sic interpretari. omnia pila attollentia lætas frondes, i, omnes victoriæ, item multa lancea, seu multa arma missilia, fumosa penna, i, quæ fumosam pennam habet, signatur, scribitur, & refertur in libellum rationum imperij ab Abascantio. Signandi verbum ad scriptionem transferri posse nullus dubito. Nec opus est doctore Orbilio ad probandam illam phrasim *Lancea fumosa penna*, id est habens pennam fumosam: quam idem Domitius non male exponit vetustam: fumi enim color vetustate conciliatur. Sed ecce alia interpretatio succurrit quæ nulli hactenus fortasse venit in mentem, neque tamen est sententiæ huius loci aliena. Pennam expono, instrumentum scriptionis, quam fumosam Statius appellat, i, nigram & atramento aut vetustate infuscatam. Sic fumosos equitum magistros apud Iuuenalem rectè exposueris, imagines quæ vetustate fumeam quandam, vt fit, nigredinem

contraxerunt. Quod si placeat legere *famosa*, quis negabit tale epithetum iure tribui pennæ seu calamo Imperatorij amanuensis, aut secretarij. qualem hic describi opinor. Penna autem non aliter quàm calamo veteres ad scribendum vsos credibile est, & hoc puto innuisse Martialem cùm pennam scribentem dixit lib. 9. epigrammate in nomen Earini. A

Atramenti quidẽ vsus notus ex Persio Sat. 3 & Oro in Hieroglyphicis. Vt vt sit, meritò Domitius principem scribarum aut secretarium Imperatoris à poëta describi suspicatur, qui scilicet rationes imperij scribebat, libellumque factitabat Romani orbis prouincias, earum rectores, milites, & quicquid gestum erat aut faciendum continen.em. Tale nim munus Abascantio hic palam tribuitur: quo etiam spectant illa verba

—— vires que modosque
Imperij tractare manu.

Vbi per manum interpretor, non imperium vt Morellus, sed pennam seu scriptionem vnde amanuenses dicti qui manum suam ad scribendum dominis commodabant. Nec tamen vilis amanuensis hic notatur sed princeps amanuensium aut scribarum vt loquitur Domitius. Quales sunt hodie apud nos *Quatuoruiri secretorum*. Huic enim muneri præpositus fuisse videtur Abascantius si is est Sextus de quo Martialis epigramm. 5. libro 5.

Sexte Palatinæ cultor facunde Mineruæ B
Ingenio frueris qui propiore dei.
Nam tibi nascentes domini cognoscere curas
Et secreta ducis pectora nosse licet.

Qui versus officium secretarij describunt, præsertim eius qui πρωτασηκρῆτις voce Hybrida dicitur Curopalatæ, & τῶν βασιλικῶν ταχυγράφων ἐπίσημος Simocattæ lib. 8. ca. 10. cuius & meminit Nicetas in Andronico lib. 2. Verum Statij locus vt præmonui ad alias quoque dignitates referri potest, præsertim ad magistrum memoriæ aut ad quæstorem sacri palatij, quorum nomina licet Domitiani & Statij æuo posteriora videantur, officia tamen haud dubie antiquiora sunt, vt ex historia Augusti apud Dionem & Suetonium facile est colligere. De magistro memoriæ Herodianus lib. 4. & Curopalates de offic. aul. Constantinop. Hunc epistolas principis dictasse discimus ex Trebellio in Claudio, & de eo Sidonius meminisse videtur in panegyr. Maior.

—— cuius dignatur ab ore
Cæsar in orbe loqui, licet & quæstore diserto
Polleat.

Qui enim dictat epistolas principis, eius ore princeps loqui dicitur. Addit author notitiæ imperij, eundem adnotationes omnes seu rescripta dictare & emittere, necnon respondere precibus. Curopalates denique loco citato magistri memoriæ (quem τὸν ἐπὶ τῶν ἀναμνήσεων vocat) officium fuisse ait, describere eos qui in militia vel alibi nauiter aliquid gesserant, eosque Imperatoris memoriæ commendare, vt consentanea meritis præmia referrent. Nunquid vero hoc munus diserte Statius Abascantio tribuit, cum mox ait, cum C

Pandere, qui centum valeat frænare maniplos
Intermissus eques, quis præcepisse cohorti,
Quem deceat clari præstantior ordo tribuni,
Quisnam frenigeræ signum dare dignior alæ.

Magna igitur dignatio fuit huius magistri. Præerat enim scrinio memoriæ, id est, vt Iurisconsulti sciunt, commentariis continentibus ea quæ memoriæ gratia literis mandari principes curabant, optimo sane instituto. Patebant illi quidam ministri scilicet memoriales, de quibus Imp. in tit. de proximis (seu præpositis) sacrorum scriniorum li. 12. Codicis. Et his tamen omnibus dignitate anteibat quæstor sacri palatij, cuius dispositioni cõmittebantur sacra scrinia tam memoriæ quam epistolarum & libellorum, l. Comperimus de proximis sact. scrin. l. Omne semen C. lib. 10. de petitionibus bonorum sublatis: & col. ligitur ex l. 1. de offic. quæst. vbi discimus totius minoris laterculi curam ad quæstorem

pertinere, ita vt eius arbitratu & ferinio memoriæ minoris laterculi dignitates, scilicet
A præfecturæ, tribunatus, præposituræ castrorum iuxta consuetudinem priscam (expende hæc verba) clementiæ Imperatoriæ authoritate deinceps mittantur. Et l. 2. eodem ti. minoris laterculi dignitates sub cura esse dicitur viri illustris, quæstoris. Eundem Zosimus scribit τὰ βασιλεῖ δοκοῦντα ὑπαγορεύειν. Quæ omnia si conferantur cum descriptione Papiniana muneris Abascantij, consentire mirum in modum videbuntur. Ioannes quidam quæstor eã ob causam vocatur γλῶττα βασιλέως apud Simocattam c. 1. lib. 1. Laterculũ autem, ne tiro hic hæreat, fuit codex in quo rationes imperij, præfecturæ promotiones tam vrbanæ quam castrenses perscribebantur, cui simile fuit rationarium, de quo Suet. in Augusto. Multa aulæ officia commemorauimus, quæ tamen affinia sunt & cura & dignitate. Et fortasse illa omnia vnus Abascantius exercuit. Negligentia certe superiorum interpretum hanc à me prolixam interpretationem exegit.

TRACTARE MANV. Valde aberrat à scopo Morellus eum, *regere imperio populos*, phrasim esse putat huic loco conuenientem. Manus quid hic significet, iam dictum.

PRAETEREA FIDOS DOMINVS SI DIVIDAT ENSES. Enses hic pro potestate & munere aliquo militari, vt apparet. Itaq; diuidere enses Imperator dicitur, cum officia & dignitates militiæ distribuit. Vide si tibi operæ est, quæ dixi ad illud *Ausonios enses* in lacrymis
B Etrusci. Diuersum est ius gladij apud Iurisconsultos, quod Iurisdictionem propriè spectat.

QVASQVE TVAS LAVRVS VOLVCRI GERMANICE CVRSV FAMA VEHIT PRAEGRESSA DIEM. Respicit historiam de qua Suetonius in Domitiano cap. 6. *Bellum ciuile*, inquit, *Motum à L. Antonio superioris Germaniæ præside confecit absens felicitate mira, cum ipsa dimicationis hora resolutus repente Rhenus transituras ad Antonium copias barbarorum inhibuisset: De qua victoria præsagijs priùs quàm nuntijs comperit. Siquidem ipso quo dimicatum erat die, statuam eius Romæ insignem aquila circumplexa pennis clangores lætissimos edidit, pauloque post occi'um Antonium adeo vulgatum est, vt caput eius quoque asportatum vidisse se plerique contenderent.* Refert eandem historiam Plutarchus in P. Aemilio, vbi plura exempla similia congerit, quibus docemur famam interdum prævertere, ac prægredi vt ait Statius, diem nuntiorum, & incertis authoribus spargi rumores earum rerum, quæ in remotissimis regionibus gestæ, ob locorum distantiam, nulla quantumuis præcipiti penna potuerant hactenus nuntiari. Ferunt etiam nuper antequam omnis memoriæ princeps Henricus Magnus parricidæ nefarij scelere violaretur, in quibusdam prouinciis rumorem indignissimæ æternumque lamentabilis eius necis fuisse peruagatum, & quindecim prope diebus non modò nuntium sed etiam casum funestissimum præuertisse. Sic igitur fama diem aliquando prægreditur: Id autem an fiat aëriorum dæmonum geniorumque ministerio ac interuentu, an alio diuinæ pro-
C uidentiæ arcano, sublimioribus ingeniis examinandum relinquo. Quod superest, victoriam hanc de tyrannione Antonio Statius notauit sylua 1. hoc versu.

Tu ciuile nefas, tu tardum in fœdera montem
Longo Marte domas.

Vbi nefas ciuile rebellis illius arma significat.

PRAESTANTIOR ORDO TRIBVNI. Duo genera tribunorum in legione: quidã laticlauij, alij angusticlauij. De priori genere hic Statius, & lapidum veterum inscriptiones. De posteriori Suetonius in Othone vbi vocat Suetonium Lenem, tertiæ decimæ legionis tribunum angusticlauium. Turn. lib. 1. aduers. & Lips. 2. de militia dial. 9.

AONIO NON SIC IN VERTICE. Delphico. Nam Delphi in Parnaso monte siti qui in Aonia. Strabo lib. 9. Solinus c. 13.

QVEM PATER ARCANI PRAEFECIT HIATIBVS ANTRI. Oraculi Delphici præfectum signari putant Geuartius & Morellus. Sed vide num legendum sit QVAM PATER. Sermo enim hic de Priscilla, quam fœminis assimilare concinnius est quàm viris. Itaque comparat eam cum Sibyllâ antro & oraculo Delphico præposita, de qua Plut. de orat. def.

PRIMI CVI FVS VENERABILE THYRSI. Alia cõparatio eiusdem Priscillæ cũ Mænadũ duce Orgia celebrantium. Et hinc confirmatur superior correctio: non enim verisimile est à Priscillam illo versu conferri cum viris, quandoquidem nunc mulieri thyrsigeræ & bac-

chanti æquiparatur. Mænadum enim chorus ex fœminis totus constabat, inter quas vna præcipuè eminebat quæ insanienti cohorti saltationis & furoris quasi numeros præscriberet ac præiret, vt elegantissimè noster descripsit in 3. Achilleidos. A

Lex procul ire mares, iterat præcepta verendus
Ductor, inaccessumque viris edicitur antrum,
Illum virginea ducentem signa caterua
Mirantur comites, &c.

Quæ verba de Achille accipienda sunt qui inter Scyrias puellas diu sexum ementitus, vna cum illis, Bacchi sacris quæ forte in id tempus inciderant operabatur, muliebri habitu spectantibus sociis bellè imponens.

EXEMPLVMQVE AD HERILE MONET. De frugalitate Domitiani Suet. c. 21.

APPVLA CONIVX VEL SOLE INFECTA SABINO. Has quoque fœminas inter exempla parsimoniæ & castitatis proponit Horatius Ode 2. lib. Epod.

Quod si pudica mulier in partem iuuet,
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis vxor Appuli.

PECTORE TERGET LIMINA. Mos iste precantum, aduolui aris, & corpore prono terram quasi verrere. Claudianus in laud. Serenæ, B

Numinibus votisque vacas, & supplice crine
Verris humum.

Tibullus huc allusit eleg. 2. lib. 1.

Non ego si merui dubitem procumbere templis
Et dare sacratis oscula liminibus.

GEMERET MORS CLVSA BARATHRO. In hoc barathro Hercules apud Euripidem profitetur se cum morte dimicaturum vt Alcestin redimat.

LONGA POTIORA SENECTA. Optabiliorem esse senio mortem præmaturam docet Cic. 1. Tusc. & Iuuen. Sat. 10.

NON IN TE FATIS NON IAM COELESTIBVS VLLIS. Quouis sacramento contenderim mendosum esse hunc locum. Qua enim ratione Priscilla moriens diceret nullum ius fatis aut cœlestibus vltra fore in maritum quem relinquebat superstitem? Imo viui fatorum legibus & cœlestiũ potestati obnoxij sunt, non vita functi. Id Virgilius indicat quem vt magistrum Statius imitatur. Ille de Pallante interfecto conquerentem sic Aeneam facit lib. 11.

Nos iuuenem exanimum & nil iam cœlestibus vllis
Debentem vano mæsti comitamur honore. C

Quod nisi Abascantius arbitrio fatorum subiiceretur viuus, cur infrà Statius dixisset.

Sic manes Priscilla subit, vbi supplice dextra
Pro te fata rogat.

Nihil opus esset placare fata ei qui fatorum immunis est. Lege igitur pronomine mutato *Non in me fatis, &c.* Significat Priscilla se peregisse vitæ munium & solutam lege mortalitatis ac fatorum. Quod superest, virum hortatur vt principem colere perseueret. Hunc næuum in Statio magni interpretes relinquere non debebant, sed id modestiæ potius quam inscitiæ eorum ascribo, qui ope Mss. codicum destituti religiose Statium tractarunt. At saltem pronuntiassent hunc locum corruptum videri.

DE CAPITOLINIS AETERNVM SEDIBVS AVRVM. Verba sunt è testamento Priscillæ quibus damnat maritum, vt statuam Domitiano collocandam in Capitolio curet ex auri pondo centum. Qui mos ætate illa frequens. Lipsius in Elect. c. 9.

PALAESTINI SIMVL HEBRAEIQVE LIQVORES. Bis peccat hic Geuartius. Primò dum Palæstinos & Hebræos liquores pro eodem vsurpari putat, nempe pro balsamo, qui tamen nisi apud Statium distinguntur, innuis repetitio admittatur necesse est. Itaque Palæstinos liquores, interpretor Syriacos, puta manna quem rorem Syriacum vocari obseruauit Petrus Crinitus, & Brodæus in Miscell. Palæstina autem Syria olim dicta Plin. lib. 5. c. 12.

&c

& hinc Palæstinus Syrus Tibullo dicitur lib.1.Hebræos vero liquores expono balsamum
A quod Hebræis Iudæisque peculiare, teste Plin.li.12. cap 5.& id gratulor venisse in mentem Gevartio.Syrios odores ad funera adhibitos testis Propertius el.13.lib.2. Nec modo manna sed & malobathrum per Palæstinos liquores licebit exponere, qui frutex in Syria nascitur: ex eo vnguenta fieri odorata præter Horatium testis Dioscorides ca.11. lib 1.& Plin.li.12.cap.26. Aptum est seruandis cadaueribus, cum sit calidum & siccum, vt inquit Auicenna.

CINYREIAQUE GERMINA. Myrrham haud dubiè significat,quam in funeribus adhibitam præter Martialem docet Plinius li.12 cap.18. Quam tamen leg. 12.tab.prohibitam fuisse putat Gevartius,male. Non enim myrrha frutex notissimus sed murrata potio vetita fuit.Festus li.12 Confundit interpretes myrrham cum myrrhina seu murrato vino quæ multùm differunt. Nam myrrhæ nomen multa complectitur vt iam notatum.

GEMITUS ALMONI CYBELE. Matris Deûm simulachrum quotannis mense Martio deferebatur à Gallis sacerdotibus ad fluuium Almonem, ibique lauabatur, sed triduo ante hæc dea lugebatur, imo ab illis fanaticis spontanea corporis laceratione ac cruore placabatur.Marcellinus li.26.Herodian.li.1. D. August li.11.de ciuit. & Prudentius περὶ στεφάνων.

B SIDONIO VELATAM MOLLITER OSTRO. In veste purpurea efferri honoratiores & viri & fœminæ solent.Seruius: *Quoniam*, inquit, *sumptuosum erat & crudele victimas vel homines interficere, sanguinei coloris cœpta est vestis mortuis iniici*. Atque hi forte sunt generosi vestis honores, quos Cornelia se emeruisse gloriatur apud Propert.eleg.vlt.li.4.Nisi malumus cum quibusdam ibi legere *Ventris honores*, non vestis, vt fœcunditatis matronalis præmia denotentur, quæ tamen correctio non est necessaria. Mortuis enim imò & morituris pretiosissimæ vestes induebantur.Exempla apud Laërtium in Socrate,Plin.li.2.epist.de Aurelia. & Paterculum li.2.

BEATO COMPOSUIT PRISCILLA TORO.Persius.

——— tandemque beatulus alto
Compositus lecto.

Beatus est diues apud vtrumque poëtam. Componi mortui dicuntur cum in feretro seu lecto funebri collocantur.Horatius Sat.9 li.1.

Omnes composui felices, nunc ego resto

Homerus de Hectore mortuo Iliad. ω

——— τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν.

C Et quoniam cadauer ita disponebatur vt pedes eius ianuam qua efferendum erat spectarent, ideò Scaliger in Festum & Lipsius 1. Elect.componere apud Persium explicant collocare & in ianua ponere mortuum pedibus in publicum conuersis,quod Græci προτίθεσθαι vocant. Sed profecto illius vetbi significatio simplicior est, nec aliud inuoluit quàm positionem in lecto, vel etiam sepulturam. Acro quidem ad illum Horatij locum componere interpretatur in vrnis condere & sepelire. Tacitus in Agric. *Paucioribus hominum lacrymis compositus es*, id est sepultus. Petron.in Menipp.*Iuncta nos mors feret, vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut quod vltimum est iratis etiam fluctibus imprudens arena componet*. Aliud quiddam est κατορθοῦν δέμας apud Eurip.in Hippol.

VENERABILE MARMOR SEPIT OPES. Veteres monumenta sepiebant, tenuiorum quidem humili aliqua materia ac leui, honestiorum silice aut marmore. Suet ca. 50. Neronis. *In eo monumento solium porphyretici marmoris superstante ara Lunensi septum est lapide Thasio.* Idem c.33.*Bustum eius consepiri nisi humili leuique materia neglexit*. Virgilius in Culice.

——— atque aggere multo
Telluris tumulus formatum crescit in orbem
Quem circum lapidem leui de marmore formans
Conserit. Thucidides lib. 5.de sepulchro Brasidæ, περιείρξαντες αὐτοῦ τὸ μνημεῖον.

Tumulis etiam lapides supetponebant vt hodie. Homerus io funere Hictotis Il. ω.

Domvs ista domvs. Ægyptij sepulchra domos sempiternas vocant. Diodorus lib. 2. antiq. A

In eodem angvsta Piaselvs. Gevartius emendat It *eodem angusta, &c.*

IN PROTREPTICON AD
Crispinum.

Discedenti in Hettutiam puero Crispino hoc protrepticon dicat, primum testatus incredibilem dolorem quo afficitur ex ipsius discessu: deinde præcocem laudat in tenera ætate aoimi corporisque vigorem, postea monet vt ad bellica exercitia se conferat patrisq; virtutem imitetur, tum matris eius crudelitatem detestatur, à qua fuerat veneno tentatus. postremò immensos honores & indulgentiam Domitiani illi ominatur. Multi fuere Crispini varijs temporibus scriptis notissimi. B

Tvrmali trabeaqve Remi. Ita restituit hunc locum Lipsius in 3. Annal. Vult poëta Crispinum nec è plebe fuisse, nec equestris tantum conditionis sed patriciæ ac senatoriæ per sanguinem ergo turmalem & trabeam Remi ordinem equestrē intelligit. Nam turmæ proprie equitum, vt trabeæ. Remi trabea eadem ratione dicitur qua Remi populus apud Prudent lib. 2. in Symm. & Remi nepotes apud Catull. in Hendecas. culmina Remi apud nostrum in Geoethl. Lucani, Regna Remi apud Propert. el. 1. lib. 2. apud eundem el. 1. lib. 4. domus Remi. & plebs Remi Martiali epig. 76. lib. 10.

Patricia clavsit vestigia lvna. Patriciorum calcei lunæ figura signati Plut. in quæst. Rom Iuuenalis de beato quodam Sat. 7.

Appositam nigræ Lunam subtexit aluta

Mullei dicti. Festus li. 12. Cum lato clauo plerumque iuncti vt hic & apud Hora. Sat. 6. li. 1.

Nam vt quisque insanus nigris medium impediit crus

Pellibus, & latum demisit pectore clauum.

Hæc enim duo præcipua nobilitatis insignia. At in calceis Imperatorum Byzantinorum aquilæ ex auro expressæ. Curopalates testis, & Phranzes li. 3. cap. 18. ijdem erant rubri. Nicetas passim.

Tyrios ex more sinvs tvnicamqve potentem. Tyrios sinus & tunicam potentem ἐκ παραλλήλου dixit, nihil enim aliud significat nisi tunicam laticlaui purpuream, quam ait Crispinum puerum sumpsisse vna cum patricijs lunatisque calceis, ex more. Quę duo postrema verba confirmare videntur Marilij sententiam negantis opus fuisse liberis Senatorum indulgentia principis ad ius laticlaui obtinendum. Vide Sueton. c. 38. Augusti & Casaubonum eius interpretem. Nec male cum quibusdam legas hic *Tunicamque patentem*, i. laticlauiam. Hæc sumi primum solita in ædibus alicuius viri illustris. Plinius ep. 23. lib. 8. C

Tvtis ivga qvaerere commoda castris. In loco castrorum eligendo magna militiæ momenta verti veteres semper existimarunt. Tibullus eleg. ad Messalam. In monte aut excelsiore loco plerumque castra metabantur. Statius li. 7. Simocatta lib. 2. c. 1. item militiæ scriptores.

Disce patrem. Aeneas lib. 12. Ascanium ita hortatur

Disce puer virtutem ex me verumque laborem.

Hilaris probitas. Conuenit illud Isidori. *Vis lætus esse? bene viue.* Boni equidē Platonicam familiam imitantur, quæ nihil nouit nisi lætuio, inquit Apuleius in Apol.

Pietasqve per omnes dispensata modos. Vulgati Codices *dispensata domos*. Corruptè, vt putat Bchotius lib. 2. Apophor.

LIBERTAS PROPERATA TOGAE Vitilis toga libera dicebatur, quod esset indicium pri-
A mæ puerorum libertatis, Ouid. 4. Tristium.

Liberior fratri sumpta mihique toga est.

Eadem pura vocatur vt Catullo epist. ad Mallium, ad discrimen prætextæ. Atque hæc vestis mutatio & togæ libertas properata multos corrumpit adolescentulos qui in illo flexu ætatis vix possunt cupiditatibus suis moderari, vt disserit Tullius in Cæliana & Plut. περὶ τῶ ἀκούειν.

QVI VOCE POTES PRAEVERTERE MORSVS SERPENTVM. &c. Simile illud de Glaucia in eius epicedio.

Hyblæis vox mixta fauis cui sibila serpens
Poneret, & sæua vellent seruire nouercæ.

Vtrobique allusum ad fabulam Herculis & Iunonis vt contra Geuartium obseruauimus.

ARCADAS OGYGIO. De Parthenopæo hæc accipienda, qui Arcadas ad bellum Thebanum siue Ogygium duxit, de cuius illici pulchritudine Statius 4. Theb.

HVMERIS QVATERE ARMA QVIRINVS. Alludit ad opima spolia & arma Actonis quæ Romulus humeris suis ex more portauit & Ioui feretrio consecrauit Liu. & Plut. Ex more, inquam, cuius author ipse Romulus, & posteri obseruatores fuerunt. Propert. eleg. xi. lib. 4.

B *Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant*
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

In humeris quidem præcipuum corporis robur vt notat Plut. in Mario. Vnde Vlysses apud Ouid. lib. 13. crimen imbecillitatis ab Aiace sibi obiectum refutans sic ait.

—— his inquam humeris ego corpus Achillis,
Et simul arma tuli, quæ nunc quoque ferre laboro.
Sunt mihi quæ valeant in talia pondera vires.

Postremò arma humeris quatere miles propriè dicitur, cum arma propriè vocentur quæ ab armis id est humeris dependent. Festus lib. 1.

NVBIGEROS CLYPEOS. Id est nullo insigni spectabiles, quales fuerunt clypei tironum quos eodem sensu parmas albas vocat Virgil. lib. 9.

Ense leuis nudo parmaque inglorius alba.

Turn. lib. 20. ca. 1. Sane nubiger clypeus & *parma alba* significatione consentiunt, cum familiari sermone res nihili, aut parum fructuosas atque insignes nubibus ventis, & similibus comparare soleamus, necnon albedini. Dicimus enim. *Ce n'est que blanque, Ce n'est que vent, ou nuee.* At Geuartio placet emendatio Heinsij totum hunc locum sic corrigentis,

—— humeris quatere arma Quirinus,
C *Qui tibi* (non quis) *tam tenero permisit plaudere collo*
Nubigenas Clypeos, &c. Vbi *clypeos nubigenas*

exponit lapsa ancilia quæ à Saliis gestabantur, vt sit sententia, Crispinum edoctum iri à Quirino, i, Romulo arma quatere humeris, qui iam permisit illi quanquam puero plaudere scuta illa διοπετῆ, nempe in Saliorum collegium cooptato. Hæc diuinatio non reiicienda est, quam tamen non comparo ex tripode oraculis. Nec enim constat Crispinum fuisse Salium, nec tam aptè Romulus dicetur permittere clypeos eiusmodi Saliis quàm Mauors, cuius illi sunt Sacerdotes. Itaque & correctio illa *Qui* pro *Quis*, mihi suspecta, nec absurda est hic interrogatio, ideoque, opinor, retinenda cum nostra interpretatione, donec melior succidanea proferatur.

CORBVLO. Domitius Corbulo dux Armeniaci belli, de quo Dio, Tacitus in Nerone, Plin. lib. 2. & 6 aliquoties.

PRIMVM TRADIT GERMANICVS ENSEM. Putant nonnulli primam Crispini militiam significari in quam à Domitiano fuerat nuper ascriptus, & cingulo dignitatis nimirum ense honestatus, quò spectant illa verba,

Quique aquilas tibi nunc & castra recludit.

Ita sentit Bulẽgerus in suo Imperatore, sed excutienti seriem orationis & altius in mentem poëtæ penetranti alia interpretatio facile succurret. Ait enim Statius Crispinum à

M ij

Domitiano iam inter numeros relatum, cum sedecim annos nondum impleuerit, vnde ampliorem eiusdem principis indulgentiam & incrementum honoris illi ominatur, addens non irrita esse vatum auguria. Durabis, inquit, quascumque vias, vallumque subibis, forsan & latus Imperatoriū subibis einctus (ita enim verba illa expono) quique aquilas & castra tibi nunc recludit, i, qui militare permittit, idem ad omnes dignitatum gradus euehet. Mox quasi hoc poëticum augurium firmarit euentus, subdit. Sed quis nuntius ab Albano Domitiani secessu tibi venit, scilicet nouum tibi honorem mandar ille mortalis Deus, & fides vaticinio meo non defuit. Vade ergo Crispine tantisque donis suffice. Felix es, cui primum ensem tradit Imperator, id est suum & Imperatorium gladium: hactenus Statius, qui præposituram cubiculi delatam Crispino innuere videtur: cui muneri incumbebat ensis Imperatorij gestatio, vt notauimus ad lacrymas Etrusci. Vt priorem expositionem reiiciam, inducit me nuntius ille qui profecto aliud quiddam perferre debuit quam militiæ Crispini tirocinium. Id enim iam notum erat Statio, vnde is antea sic ominatus fuerat. A

Quique aquilas tibi nunc & castra recludit,
Idem omnes perferre gradus cingetque superbis
Fascibus, & patrias dabit insedisse curules.

Verba sunt è vaticinio Statij quod præcedit nuntij mentionem, & hanc statim sequitur illa gratulatio: B

Dicebam certe. Vatum non irrita currunt
Auguria.

Tum amplificatio cum exclamatione felicitatis Crispini. Ecce aduētu nuntij poëta gloriatur vaticinio suo fidem factam, & felicem prædicat amicum ob delatū à principe honorem: atqui non militiæ auspicium vt pote iam certum & cognitum, sed ampliorum dignitatum gradus prædixerat, vt aperte declarant supra citati versus. Non video quis sit vsus aut vaticinij aut nuntij illius, nec cur tantopere Statius extollat hic sua & vatum auguria, si Mercurius iste nihil aliud quàm primæ militiæ beneficium Crispino à Cæsare concessum nuntiauit, vnde iure possit eum exclamare felicem, cui Ausonij ferri munia & ensem primum Germanicus tradit. Adde quod hæ duæ locutiones vix propriè ascriptionem in militiam significare possunt. Nec magis pet ensem primum interpreter præfecturam prætorij. Erat enim Crispinus puer, needum plenam pubertatem attigerat. Vnde mitor simul & indignor Magnum virum in Semestribus vbi hunc locum profert, eum interpretari de Crispino, qui temporibus Claudij aut etiam Tiberij præfectus prætorio fuerit. Quam fugit eum ratio! Primò enim Crispinus iste à Statio puer vocatur. Qui potuit autem à Claudio pueritiam ad Domitianum protrahere? deinde cum poëta hortatur vt maiora mereri discat, superuacaneus autem is hortatus apud præfectum prætorio, apicem scilicet omnium honorum quos homini priuato consequi aut sperare licet. Munus ergo præpositi cubiculi cum Morello puto hic designari: Quod vero diximus Crispinum in militiam ascriptum, nunquid refutatur verbis illis Statij, C

Quid si militiæ iam te puer inclyte primæ
Clara rudimenta & castrorum dulce vocaret
Auspicium, quanto manarent gaudia fletu?

Minimè. Id enim tantum significat Statius, illum in militiam nōdum proficisci, cum non attigerit decimum septimum annum militiæ legitimæ auspicalem, & nihilominus castra illi beneficio principis iam patere, quæ propediem est subiturus, vnde ait poeta,

——— *Etiamne optanda propinquant*
Tristia? & oculos bis iam tibi circuit orbes
Vita.

A

IN EPICEDIVM PATRIS.

SYNOPSIS.

VT lugubri carmine patris manibus pro dignitate parentet, ipsius poëticam facultatem optat, eum sine eo nihil possit sublime in posterum meditari, testatur incredibile quo angitur desiderium tam chari capitis, nullósque propinquorum luctus suo dolori esse comparandos, stirpis eius dignitatem laudat, & multo magis præstantiam ingenij, quo non modo præmia obtinuit certaminum Neapolitanorum, sed etiam meruit præfici institutioni Romanæ iuuentutis, quod munus magna cum fama obiuit. Ad extremum, piis genitoris manibus bene precatur, cuius præceptis, mores, eruditionem, industriam, omnia sua refert accepta.

B CORYCIA PHOEBVS IN VMBRA, Coryeium antrum Nympharum in monte Parnaso vbi oracula reddebantur. In hoc enim monte multa loca sacra fuere, quorum præcipuum Coryeium. Pausanias in Phocicis, Strabo lib. 9. Laertius in Pherecide.

PELOPIS SOLENNIA TRVNCI. Pelops truncus ob humerum eburneum, Ouid. lib. 6. Met. Intelligit certamina Olympica in eius honorem instituta.

SICVLI SVPERAREM DONA SEPVLCHRI. Anchises in Sicilia sepultus ab Aenea, magnificísque exequiis honestatus. Virg. libr. 5. Cæterum in sepulchris res pretiosissimas & pecunias recondi solitas historiæ docent. Plautus in Pseudolo. Ex hoc sepulchro vetere effodiam viginti minas. Vide Nicetam in Alex. Comneno lib. 1.

IN ARDENTEM (LICEAT MODO) ITVRA MARITVM. Hæc lectio potior est quam vulgata *liceat moritura*.

CYDA LABOR NOMENQVE FVIT. Acuta est illa emendatio viri illustris apud Geuartium. *Oda labor*, vt poëtæ Lyrici significentur, quorum solertiam pater Stanj dicitur æmulatus: Nam Cydios modos Calderini nec audiui vsquam, nec legi, quos ipse, vt opinor, solus ab inuenta musica modulatus est. Quid si hunc locum ita legas?

Et quibus Arcadia carmen testudine mensis
Chorda labor nomenque fuit.

C In chordis quidem seu fidibus labor lyricorum rectè esse dicitur, à quibus etiam nomen habent, nec famam tantum, vt plerique hic exponunt, sed appellationem suam à fidibus sumant Lyricus lib. 4. Carm.

Quod monstror digito prætereuntium Romanæ fidicen Lyræ. Lyræ quoque genera varia à Chordarum numero nominantur, vt monochordon, tetrachordon, &c. Pollux libr. 4. τὸ *Oda* videtur inducere inutilem repetitionem: Præcessit enim proximè vox, *Carmen*, quod Lyricis idem cum Oda.

NIMBOS AEQVARE PROFATV. Homerum habuit in mente qui orationem Vlyssis niuibus hibernis assimilat. Horatius.

—— ruebat
Flumen vt Hibernum fertur quà rara secaris.

Comparatio verborum & fluminis aut nimbi oratoribus ac poëtis est familiaris. Cæterum nimis insultat Geuartius Pighio apud Val. Max. libr. 5. c. 3. sic legenti. *Quo enim Iambo, qua procella verborum impium Sextilij caput obrui meretur!* Iambus enim rectè conuenit cum procella verborum vt ex historia poëtæ Archilochi colligi potest, ad quam Valerius videtur respexisse.

CRINEMQVE AFFLATO MONTE. Lipsius 1. Elect. legit. Afflata mente. Heinsius appro-

bante Geuattio *Afflatum* monte,in hunc fenfum.O Patthenope impone tumulo mei patris crinem tuum montis Vefuuij proximi incēdio nuper afflatum. Quam vaftitatem intulerit per ea tempora conflagratio Vefuuij nemo ignorat, qui Plinium & Martialem legerit,vt alios feriptores omittam. A

ETENIM TE DIVITE RITV PONERE PVRPVREOS INFANTIA ADEGIT AMICTVS. *ἀντιθεσις*, cuius fententia anceps tum ob ambignitatem verborum, tum quia proximè præcedunt duæ claufulæ inter fe oppofitæ ad quarum alterutram referri deber. Prior eft. *Nec fine luce genus*, altera, *quanquam fortuna parentum arctior expenfis*. Vide igitur vtrum fic libeat interpretari. Non caret luce tuum genus ô pater (quanquam modicæ fuerunt & impares expenfis opes parentum) etenim infantia te coëgit ritu diuitum ponere, id eft, fumere & circumponere purpureos amictus & pectoris aurum, nempe prætextam & bullam. Ponere interdum non abiicere, fed contrarium fignificat, vt cum dicimus templa, præmia ponere & fimilia. Galli dicunt *mettre vn habit*. Ouidius eo fenfu verbum hoc vfurpauit 3.Met. vbi Iuno in anum mutata.

—— Pofuitque ad tempora canos,
Sulcauitque cutem rugis.

Nec enim rectè diceretur Statij pater diuitum titu pofuiffe,i. abieciffe in infantia hæc ornamenta familiarum locupletum. Vel fic expone, quafi probet Statius fortunam parentum fui patris arctiorem fuiffe ipfius expenfis,ideóque hunc coëgiffe deponere & relinquere vna cum titu diuite purpuram & aurum pectoris.nempe bullam auream,ftirpis honore conceffa. Itaque verba illa | *Diuite ritu*, interpretater per præpofitionem *Cum* fupprimi interdum folitam more Attico vt docet Euftathius in Iliad.19. & fcholiaftes Aristoph.in equit.Virgil.lib.9. 5

—— Saltu fefe omnibus armis
In fluuium dedit,

id eft,cum omnibus armis. Seruius. Prior expofitio magis conuenit fententiæ Statianæ.fuit cum legerem *infantis*, non *infantia*, & ita exponebam. Non eft fine luce tuum genus (quanquam &c.) etenim te coëgit ponere,feu abiicere purpureos infantis amictus: Quia fcilicet nobiles pueri exacta infantia cogebantur prætextaio & bullam relinquere. Hac ratione τὸ *adegit*, referebam ad τὸ *Genus*.

NATALIS ORIGO PENDET,ET AMBIGVO GEMINAE CERTAMINE TERRAE. Interpunctio non malè hic adhibeatur, vt fit fententia, natalem Statij patris originem pendere,& geminas terras ambiguo item certamine pendere,id eft, incertas effe, & fufpenfas de natalibus tanti viri, de quibus non aliter quàm de Homeri ftirpe decertant. Pendere idem quod dubitare,angi,& incertum effe,vt vel Nizoliani fciunt. Sed aliter pendet natalis origo Statij aliter geminæ terræ. Prius illud paffiuè accipiendum. pofterius actiuè. Quod fi interpunctio difpliceat,ita iuuabit exponere. Te fibi vendicat Graia Selle,ô pater, ambiguo certamine terræ geminæ,id eft,cum nihilominus terra huic gemina & fimilis dubiam illi & ancipitem moueat controuerfiam de natali tua origine. Geminum pro fimili vfurpant latini fcriptores,Virgilius & alij. Terram verò geminam interpretor Neapolim,quæ à Graiis condita vt Selle, & de Statij fcrioris ftirpe magno ftudio contendit,quod fequentes verfus confirmant.

TE DE GENTE] SVVM. Hæc diuifim legenda. *De gente*,id eft, propter gentem. *De*,caufam plerumque fignificat Grammaticis.

GRAIA REFERT SELLE. Sellem Epiri exponunt interpretes, quam ἰνκῶς Satius nominauit,cæteri fere per numerum multitudinis exprimunt, vt Plinius Sellas vocat lib.3. Strabo libr. 9 Sellos & Hellos, fed apud illos authores talia nomina populi funt non vrbis. Porrò cum Velia Italiæ Selle quoque dici poffit, & vtraque fit Graia, vt mox dicetur,tam Epirotica Selle quum Italica, vtram intelligat Statius incertum. Licet enim plerique putent parentem noftri poëtæ in Epiro natum,id tamen timide affirmat P.Crinitus, nec fanè id ex hoc Epicedio colligitur. Vnde nihil vetat hic Veliam exponere,

quandoquidē hanc vrbem bonis legibus & ciuiū frequentia nobilem testis Strabo lib. 6.

A GRAIVS QVA PVPPE MAGISTER EXCIDIT. Historia huius Graij magistri ad Sellem submersi, mihi obscura est. Nec enim satisfacit Domitius dum scribit Statium Virgilij carmen de Palinuro æmulari, & similitudine historiæ Sellen celebrare, Veliámque Sellen dici posse à locis palustribus. At saltem debebat ascribere verba Strabonis ex lib. 9 quibus princeps Geographus docet Graios circa Epiri Dodonam habitasse, déque eorum nomine ambigi, vtrum Selli, an Helli vocandi sint, ἀπὸ τῶν ἑλῶν, à locis palustribus. Nam aspiratio Græca in v consonam Latinè sæpius vertitur, vnde ipsa Velia Plinio dicitur Helia libr. 3. Hist. nat. c. 5. Præterea idem Strabo lib. 6. Veliam Lucaniæ à Phocensibus Græcis conditam fuisse testatur, & triplici nomine appellari ἐλέαν ὑέλην, ἔλην, quod postremum vocabulum in Sellen Latinè mutari potest, eadem aspiratione, vt fit, in sibilum mutata. Sed vt hæc omnia vera sint, eadem semper quæstio recurret de hoc Graio magistro, quem gubernasse nauem Pelasgorum qui Sellen condiderunt, libentissimè vt alia assentirer Domitio, si diuinationem suam aliqua authoritate firmaret. Interim non verebor exponere hic Palinurum, qui apud Italicam Sellen, id est, Veliam, è puppe quam gubernabat excidit: nec enim alium inuenio magistrum, qui in eo tractu simili casu perierit. Sed neque Epirotica Selle vllius gubernatoris naufragio, quod sciam, est memorabilis. Ipse autem Palinurus, Graius magister hic vocatur, siue

B quia nomen habet Graium, siue quia fortè erat Græcus: nam inter Troianos & Græcos vetus fuit hospitij necessitudo & societas vt historiæ docent, imo gens Troiana à Cretensibus qui in Græcia numerantur, originem ducit, Virgilio teste in 3. Æneid. Quod si hic liceat legere.

——— *Phrygius quà puppe magister, &c.*

non erit cur amplius deliberandum de hac interpretatione censeamus. Et sanè ita legendum notat Auantius in suis emendationibus. Itaque εὕρηκα.

MISER EVIGILAVIT IN VNDIS. *Plena hic distinctione opus est.*

MAEON ET INDE SVVM LONGO PROBAT ORDINE VITAE MAEONIDEM. Et hic locus diu me anxium habuit incertúmque sententiæ. Primum quia vitiosa interpunctio quam pleráque exemplaria habent post τὸ *Mæon*, in hunc errorem fere me induxerat, vt putarem Mæonem esse nomen Graij illius magistri, quem modò exposuimus Palinurum, ideóque hunc versum interpunctione à præcedenti separauimus. Sed difficultatem præcipuam patiunt hæc verba *Et inde*, quæ ad Sellén duntaxat referri posse videntur. Modò enim poëta dixit hanc vrbem sibi asserere Statium patrem veluti suum ciuem, & inde, inquit, id est, ex eadē vrbe Selle Mæon probat suum Mæoniden, id est, Homerum qui à se genus ducit aut nomen, ibi natum esse affirmat, vel inde illum repetit &

C vendicat quasi suum alumnum aut ciuem. Fateor hic mihi griphus fuit, cui tandem quæsiui lucem, fortè etiam inueni, à Suida in voce Ὅμηρος & ab Archilocho in libello de temporibus, qui Homerum quendam poëtam memorant cognomine Sellium, ad quem hic locus meo iudicio referendus est, vbi Statius breuiter digreditur in Homerum Mæoniden, per occasionem Sellæ parentis sui patriæ, quæ & illustri illo vate tanquam ciue suo gloriatur. Nec verò multùm refert Mæonisne nomen pro singulari homine, an pro Mæonio populo accipiatur. Constabit enim eadem vtrobique sententia, quasi dicat Statius, Mæonem, Homerū Sellium quasi filiū, aut alumnū aut ciuem sibi vendicare itémq; alias vrbes. At cur, inquies, cum de principe poëtarum non de Sellio Homero contenderint? Primum respondeo magnum illum vatem natione Italicum à quibusdam existimari, vt refert Suidas, ideóq; nihil obstare quo minus apud Sellen Italicam natus esse videatur. Deinde verba Statij non sic accipienda sunt, quasi is ex historica fide, Homeri Mæonidæ stirpem genúsque exprimeret, imò apertè is detegit errorē Mæonis & aliarum ciuitatum, quæ ex septem vel octo Homeris (tot enim à Suida numerantur) quos variæ terræ atque ætates tulerant, vnum illum poëtam eminentissimum omnes sibi asserebant, non minus falsò quàm ambitiosè: vnde mox subdit,

—— *non omnibus ille*
Verus, alit victos immanis gloria falsi.

Quod sic expono. Meon suum probat esse Mæonidem, apud Sellen natum, eundémque certatim aliæ vrbes sibi vendicant, & suum esse probant: atqui non omnibus ille est verus Mæonides, id est, in tam ambigua tot populorum de Homero controuersia, non possunt omnes sibi verum Mæonidem Homerum, illum nempe poëtarum eximium asserere, sed eius natales ad vnam duntaxat pertinent ciuitatem: & tamen cæteræ vrbes quanquam in hac contentione victæ, gloria quadam pascuntur, dum reputant se licet falso, Mæonidæ natalibus gloriari vel potius dum iactant se falsum talē edidisse Mæonidem. Rursus hic noua quæstio exorietur, quis sit falsus Mæonides. Solues facilè, modò cogites reliquos Homeros si conferatur cum magno vate, falsos Mæonidas posse appellari, nam cum omnes Homeri vocentur, singuli pro illo diuino homine accipiūtur errore multorum populorum, qui nominis similitudine decepti se authores prædicāt generis Homeri Mæonidæ. Res enim ita habet. Octo fuerunt Homeri genere ac natione dispares. Ille enim Smyrnæ, alius Sellæ, hic Rhodi, alius Argis, hic Athenis aut Salamine natus, vt Suidas & Archilochus docent. Et quoniam Mæonides Homerus cæteris eiusdem nominis famæ celebritate longè præstat, de eius natalibus orta est contentio inter has ciuitates, quarum vnaquæque dum Homerum quendam se edidisse verè iactat, hunc persuadere nititur esse verum Mæonidem, i. magnum illum poëtam: quem vna tantùm ciuitas puta Smyrna aut Selle potest sibi vēdicare, cæteris licet, falsi duntaxat Mæonidæ, i. alterius Homeri magno poëtæ cognominis natalibus gloriari. Hic est opinor sensus huius loci, quem vt eruamus omnem mouemus lapidem, & fortasse ἀπροσδιονύσως dicet aliquis. B

Scimus & hanc veniam petimúsque damúsque vicissim.

Domitius hic planè nos ludit eum sua interpretatione, qua vix quicquam ineptius, & Volusi chartis dignius comparari. satius profectò esset in re obscura inscitiam suam modestè profiteri, quàm nugatoriis eiusmodi commentis detinere lectorem.

ALIT VICTOS IMMANIS GLORIA FALSI. Falsum Mæonidem expono, nempe quendam ex octo illis Homeris, cuius gloria dicitur ingens. vel quod nomen magni vatis sortitus est, vel quia errore contendentium de Homero ciuitatum existimatur esse verus Mæonides. Porrò videtur Statius eximij poëtæ originem natalem Sellæ tribuere, in honorem scilicet sui patris inde oriundi.

AD PATRII RAPERIS QVINQVENNIA LVSTRA. Lustrum Neapolitanum intelligit & quinquennales ludos Parthenopes de quibus supra. Patrium lustrum vocat poëta, notans suos natales quos Neapoli debet, aut etiam patris natales, vt dixi ad illud *Natalis origo pendet*.

LAVDVM FESTINVS ET AVDAX INGENII. Locum hunc ita restituit Lipsius 1. Elect. c. 9 cum antea sic legeretur. *Laudum festina, sed vt dux ingenij*. Poëticæ sunt hæ phrases. *Laudum festinus, & audax ingenij*: quæ conueniunt sententiæ Papinij præcocem in suo parente virtutem denotantis. C

NATIS TE MONSTRAVERE PARENTES. In hoc cumulum suæ felicitatis ambitiosi collocant, vt Demosthenes apud Cicer. 5. Tuscul. Persius Sat. 1.

At pulchrum est digito monstrari & dicier hic est.

Horatius lib. 4. Ode ad Melpomenen.

Totum muneris hoc tui est.
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ.

Nec malè Grammatici quidam etymon vocis *Dignus* repetunt, ἀπὸ τοῦ δείκνυσθαι. Paulus Iouius de Bessarione. *Gracialumina circa eum intriuiis, eiusum digito monstrabantur.*

TE MONITORE REGI. Monitores, alias comites & custodes vt in 5. Aeneid. qui scilicet nobilibus adolescentulis aderant inspectores censorésque actionum assidui. Author Panegyrici ad Constantinum. *Sanctè Tybris quondam hospitis monitor Aeneæ, mox Romuli conseruator expositi*. Symmachus lib. 3. epist. *Nec Achillis excusauit ætatis sua frigus Phœnix monitor*. Monitores etiam dicti qui in scena monent histriones, Græcè ὑποβολεῖς. Scaliger in Festum.

PINDA-

PINDARICAE VOX FLEXA LYRAE. Flexa vox lyræ dicitur, propter strophas & antistrophas lyricorum. Vide Turnebum 1.aduers.

VOLVCRVMQVE PRECATOR IBYCVS. Historiam Ibyci notissimam eleganter expressit Antipater in epitaphio ipsius quod extat inter epigrammata Græca. Auson.in monosyll.

Ibycus vt periit vindex fuit altiuolans grus.

Vbi fortè legendum *Index* non *vindex*.

LEVCADE SAPHO. Hæc enim è Leucade se præcipitauit, vnde fortassis mascula dicta Horatio epist 19. Turnebus lib.x.c 2.

VENERI PLORATA DOMVS Laurinum. Vide Domitium.

NEGLECTAQVE TELLVS ALCIDAE. Tractus Campaniæ Lucrino vicinus, quem neglexit Alcides: Cum enim illac boues commode traducere posset, maluit Lucrinum lacum structo aggere traucere Strabo lib. 5.

LITVO REMOQVE NOTATVS COLLIS. Misenum promontorium. Virgilius in 6.

QVA MEDIIS ALTE PERMISTVS ANHELAT IGNIS AQVIS De calidis Bataium balneis palàm accipiendus hic locus, quem & illustrat Dio lib. 48. Behotius in Apophoretis libr.

B 2.c.xi.

OPERTA DOMOS INCENDIA SERVANT. Legebam olim *Domus* in casu nominandi, & nunc perseuero Sermo enim hic de baineis Bataium quæ seruant operta incendia, quoniam subiecto igne perpetuò calefiunt.

DARDANIVS FACIS EXPLORATOR OPERTAE. Pontificem πῦρφορ ζεται cui cura & magisterium Vestalium, & his cura sacri ignis & inextincti quem per facem opertam intelligit, idémque sylua 1. tacitam facem.

Et tacita virginea face Troicus ignis.

DIOMEDASI PENETRALIA FVRTI. Palladium à Diomede Troianis clam subductum, in templo Vestæ occultabatur de quo Liuius lib 26. Herodi. in Comm. & Clemens Alex. in protrept fusè Lipsius in tractat singulari de Vestalibus.

ARMA PROBARE MONSTRATIS ALIS. Lipsius 1. Elect. c 9. emendat. *Monstrasti saliis.* Lasciuit enim in laudes sui patris Statius. Et è tuo, inquit, sinu Romani proceres prodierunt rei diuinæ periti & humanæ. Tu Pontificem cui cura & magisterium Vestalium docuisti suos ritus, tu salios, tu quindecimuiros, tu flamines & lupercos. Hos enim omnes sacerdotes versibus aliquot describit hæc Lipsius. Sed tueor cum bono Domitio vulgatam lectionem & monstratas alas interpretor auium volatus in quibus contemplandis augurum disciplina versabatur, qui ex illis conijciebant euentus futuros, & arma probare dicebant, id est bella suscepta approbare si aues addixissent, vel obnuntiare, si secus: Verba poetæ clarè indicant hic agi de auguribus quibus inconsultis aut repugnantibus in militiam proficisci nefas putabatur. Quanti fecerint Romani augurandi scientiam superuacuum est referre.

C

SACRILEGIS LVCENT CAPITOLIA TAEDIS. Vt Capitolium arserit sub Vespasiano ex Tacito notum est, quam calamitatem Statij pater carmine singulari defleuerat.

CVM STIRPE TVA DESCENDERE DIXI. Cum me professus sum tuum filium. Domitius.

QVI GENVIT PLVS IPSE FERIT. Parentes ad ludos Olympicos ducebant plerúmque filios robore præstantes, eósque ibidem cursu aut pugilatu certãtes voce & quasi celeusmate hortabantur ac iuuabant Insignis in hanc rem historia Glauci illius Caristij apud Pausaniam Eliacis.

SPECTATVR ACESTES ILLE MAGIS. Acetem Pallantis comitem exponit Domitius. De eo appositè ad hunc locum noster suprà Epiced. in Glauciam.

Optabat longè reditus Pallantis euantes
Euander fidos pugnas spectabat Acetes.

Meminit eiusdem Virgil. lib. xi.

CHALCIDICAS CERALIA DONA CORONAS TE SVB TESTE TVLI. Aristides in Eleus. scribit primum agonem gymnicum Eleusine inuentum cuius præmium victori fuere fruges. Per dona igitur Cerealia coronæ Chalcidicæ, expone præmia eiusmodi quæ re-

tulit Statius in agone Neapolitano. Nisi malis verba hæc referre ad ludos Cereris Neapoli institutos, de quibus dixi in sylua ad Meneeratem. Adi Domitium.

MORS IMITATA QVIETEM EXPLICVIT. Morientes corpus solent præcipuè pedes exporrigere. Hinc mors explicare propriè dicitur. Sophocles γέροντα μέρω ἐκτανύσαι dixit. A Et porrigere pedes, prouerbij specie significat mori, apud facetum Epigrammatum scriptorem.

Tu languore quidem subito fictóque laboras.
Sed mea porrexit sportula Paule, pedes.

Mortuis etiam pedes extendebantur à parentibus aut amicis, cum scilicet eorum cadauera formabantur & componebantur quod χηματίζει vocat D. Chrysostomus in sermon. de Iobo.

PHYLACEIDA RETVLIT VMBRAM ADMETVS. Malè Domitius Protesilaum hic interpretatur, cuius vmbram ait Admetum ab inferis secum reduxisse. Confingit ille in suum vsum fabulam vt duorum versuum difficultate se expediat. Sed nihil opus erat in his verbis tantopere æstuare. Constat enim Alcestidem propter virum Admetum ex inferis rediisse vt scribit Higinus fab. 51. Vnde meritò dicitur Admetus reduxisse seu retulisse eius vmbram, quam vocat Statius Philaceïda, id est, Thessalam, à Phylace Thessaliæ oppido. fabula vmbræ Protesilai ad Laodamiam item reuersæ nota est ex eodem Higino & Propertio eleg. 19. lib. 1. sed nihil ad Admetum. B

SYLVA VNA TETRA. Lucis Auernis. Virgil. in 9.

IN EXPOSTVLATIONEM AD SOMNVM.

Synopsis.

CVM somno Deo expostulat, quod iam septem noctes transegerit insomnes, cum interim pecudes, aues, fluuij quoque & æquora placidè quiescant, rogat vt tandem sibi opitulari velit C

PLACIDISSIME DIVVM. Sumptum ex Ouidio. Seneca in Hippol.

Túque ô domitor somne laborum
Pars humana melior vitæ.

Homerus enim vocat βασιλέα θεῶν καὶ ἀνθρώπων. Aelianus Hist. anim. c. 43. lib. 1.

SEPTIMA PHOEBE. Propertius eleg. 20. lib. 2.

Septima iam plenæ deducitur orbita lunæ.

Id est septima nox. Luna enim pro nocte sæpius apud Poëtas vt supra in Epiced. patris.

Nam me ter relegens cœlo térque ora retexens
Luna videt residem.

Nec aliter fortasse exponenda sunt amica silentia lunæ apud Virgil. 2. Aeneid. in quibus tantum acumen ostentarunt viri eruditi.

OETAEAE PAPHIAEQVE LAMPADES. Alia noctis periphrasis. Nam astra poëtis oriri dicuntur in monte Oeta, vnde ignes Oetæos noctiferi dixit Catullus. Interdum & in Ida Virgil. 2. Aeneid.

Iámque iugis summa surgebat Lucifer Idæ.

Oetææ & Paphiæ lampades hic Venerem stellam significant. quæ eadem & Lucifer & Hesperus seu noctifer variis temporibus appellatur, prout antecedit Solem aut sequitur.

ME TANGE CACVMINE VIRGAE. Virgam Somno Papinius, Virgilius ramum, alij cor-
A nu, vt alibi noster in 2. Theb. Turnebus lib. 21 c. 4.

IN EPICEDIVM FILII.

SYNOPSIS.

MOrtuum vernulam, lamentatur, quem paterno affectu fuerat prosequutus. Non enim eum genuerat, sed apud se natum educarat, & ab infantia prima libertate donarat ex cuius obitu præmaturo tantum concepit dolorem, vt beata illa poëtices vena fluere prorsus desierit, & fons ingenij planè exaruisse videatur.

QVAS INCESTAVIMVS ARAS. Similis querela Tibulli eleg. 2. lib. 1.

Num feror incestus sedes adiisse deorum?

B *Sertaque de sanctis deripuisse focis.*

INACCESSO POSVI VESTIGIA LVCO, NVM VETITO DE FONTE BIBI. Luci & fontes quidam sacri fuerunt quos ingredi aut tangere nisi mystis aut certis personis non licebat. Propertius eleg. 1. lib. 4.

Parce oculis hospes lucóque abscede verendo,
Cede agedum & tuta limina linque fuga.
Dij tibi dent alios fontes, hæc lympha puellis
Ausa secreti luminis vna fuit.

BVSTA LINI COMPLEXVS APOLLO. Linus hic Apollinis filius vt apud Virgil. Ecl. 4. Sunt & alij eiusdem nominis, de quibus Nicolaus Loensis in miscell.

PHARIA DE PVPPE LOQVACES DELITIAS. Pueros garrulitate procaci dominis suis gratos esse docet L. Seneca in lib. de sapientis immunitate ab iniuria: Quid mirum? *Verbosa gaudet Venus loquela*, inquit Catullus.

Hac vero dote præcipuè commendabantur Alexandrini pueri Capitol. in Vero, Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Petron. in Sat. Qua de re plura dicere, est lauream in mustaceo quærere.

C

FINIS.



A

SOMNIVM PHILOCELTAE SEV SPONSOR CASSANDRAE TVRCICAE.

ITERVM lucem aspicit hoc poëmatium, quod olim luseram in acerbissimo magni Regis occasu, cùm auocamenta mihi quærerem, ac solatia publici doloris. Et quoniam paucis fortasse lectum auditúmque fuit, ideò nihil vereor, ne hac editione veluti crambe repetita nauseam pariat aut fastidium. Certè pastoritiam fistulam, si non alia re, saltem ipso lemmate deprecatur. B

PRAEVIA iam Phœbi Pallantias astra fugabat,
Lunáque noctiuagam demerserat æquore bigam,
Cum vera humanas turbant insomnia mentes.
Sopitus geminas video concurrere formas.
Vna triumphali specie fulgebat & ostro C
Henrici faciem referens sed pallida longè
Illi dissimilem præbebat Francia vultum.
Nullus honos fronti qualis per nubila Phœbes
Thessalica labat arte vigor, Temesæa sonore
Aera licet recrepent foliis aut qualia marcent
Lilia pallidulis vbi turbidus ingruit Auster.
Gnosiacam simili vexauit tabe puellam
Dirus amor, vacuo cum sola in littore Naxi
Thesea Cecropias repetentem cerneret oras.
Ergo vbi luce noua rutilantem Francia regem
Conspexit, tremulis compellat vocibus vltrò.

Túne mihi ante diem fato percussus iniquo
A *Henrice eriperis? nostri quem nuper ouantem*
Spectabant populi gemina radiante corona
Insignem, non te pietas subducere letho
Regia nec potuit clementia, viuitur istis
Legibus, & quicquid vasto Sol lustrat in orbe
Abripit immitis nullo discrimine Parca.
Mors nulli effugitur: quanquam te maxime regum
Protinus altitonans supero transcripsit Olympo
Dum terris rapuit. Viuis, cæloque potitus
Parte tui meliore viges, sed victa dolore
Interea & curis pene exanimata relinquor
B *Præsidio viduata tuo: non prisca meorum*
Gloria succurrit, non parta ex hoste trophæa,
Omnia nam superat præsens solatia casus,
Vtque tuæ subiit tristissima mortis imago,
In riguos lachrymans dilabor tota liquores.
At non hæc olim miseram sperare iubebas
Gallica cum regeres summis virtutibus arua.
Tunc mea candidulo crescebant lilia flore
Quæ modo flaccescunt tanti post funera regis.
An mihi summa dies, fugitiui an terminus æui
Instat, & atroces properant mea fila sorores?
Haud equidem renuam quin te Sol alme cadentem
C *Insequar atque tuo condar moribunda sepulchro.*
Sic effata sinum lachrymis impleuit obortis
Francia & humidulis percussit pectora palmis.
Cui mox Henricus roseo spectabilis ore
Talia voce refert. Vanos nunc comprime questus.
O semper dilecta mihi, dilecta Tonanti.
Sat mea communem tutata est dextra salutem,
Sat patriæ Gallisque dedit. Regnator Olympi
Vlterius prodire vetat, nunc linquere terras
Cogor, & æthereas animo volitare per arces,
Nec tamen antiquæ desperes præmia laudis.
Nam prius humenti Boreas se promet ab Austro,

Ante ferox Bessus Ligerim, Germanus Orontem
Imbibet, aut Indus Rhodanum, rapidúsque Garumna A
Conuerso repetet Pyrenes flumine saltus,
Quam tibi perpetuum rapiat fortuna decorem.
Hæc dea quæ positis ad Tybrim constitit alis
Hîc celerem mansura rotam sufflamine sistet.
Cur nostro timidam diuexas funere mentem.
Viuit imago mei post tristia fata superstes
Et spes lapsarum LODOICVS *maxima rerum*
Ac velut exoriens Hyperion conspicit orbem
Lucidus, & primos è carcere concitat axes,
Talis adest princeps: LODOICVM *Francia talem*
Aspiciet longos Lachesis cui destinat annos.
O quales poteris tanto sub principe mores B
Induere & quantis tua crescet gloria rebus.
Namque vbi vestierit prima lanugine malas
Marte ferox iuuenis forti metuenda capesset
Tela manu hostiles debellatura furores.
Hoc duce Securi properate ad prælia Martis
Francigenæ, veloci aderit victoria penna.
Ite per ardentes qua latrat Sirius agros,
Ripheas superate niues, transcurrite metas
Herculis, atque nouum tentate per æquora mundum.
Ille & Idumeas repetet certamine palmas,
Ægypti sternet populos, Turcamque ferocem,
Qui sceptro tumidus Rhodopes geminoque superbus C
Imperio Latias etiam nunc territat vrbes,
Classe virisque potens, titulos dum sesquipedales
Iactitat, occiduis minitans incendia regnis.
Sed veniet Nemesis quæ fastum calcat inanem
Et spes immodicas: illuc conuertite ferrum
Christicolæ, quid vos nunc ciuica bella morentur?
Seruit adhuc Scythico tellus augusta tyranno
Clara salutiferis Christi natalibus, & quam
Altricem generis primi coluere parentes.
Quin & Pannoniam repetitis cladibus vrget
Barbarus atque animo totum iam deuorat orbem.

Heu prohibete nefas, tuque ô charissima proles
A *I decus î nostrum, præsentibus vtere donis.*
Huc tua te fortuna vocat, fatalis & vltor
Hostibus impendet gladius quem prisca minantur
Auguria & Turcis verax prædixit Apollo.
Ecce Deus iustis aderit mox belliger armis.
Muneribus certant superi: tibi Mulciber ensem
Fulmineum parat ignipotens, clypeumque Pyracmon
Fabricat, & totis fumans sonat Ætna cauernis.
Et tibi littorea iamdudum pascit in alga
Alipedem Neptunus equum qui nubila saltu
Transuolet atque leues valeat præuertere ventos.
B *Iam fragor armorum nostras circumsonat aures.*
Iam video Solymam recipi, Assyrioque cruore
Barbarico Syrios latè pinguescere campos.
Currit in aduersas ardens Bellona cateruas
Horribili iam voce tonans, fert impetus ipsam:
Signiferi passim anteuolant labarumque verendum
Ostentant dubiis media inter prælia turmis.
At dux Francigenûm trepidos impellit in hostes
Cornipedem & raptas fugientibus ingerit hastas.
Hunc habet, exclamat victor, gens impia finem.
Nunc mare nunc terras inimica cadauera complent
Et stupet innumeris infernus portitor vmbris:
C *Dum cogit reliquos* LODOICVS *tela rebelles*
Abiicere, & Francis submittere colla catenis.
Ergo age pone metus nimium nec cede dolori
Gallia, magna nouo surget tibi gloria rege.
Ille redux domiti spoliis orientis onustus
Et pia victrici redimitus tempora lauro
Sumet Palladiæ ramum pacatus oliuæ,
Legitimisque suas frenabit moribus vrbes,
Necnon sollicitis tribuet grata otia Musis.
Aurea tunc toto descendent secula cælo,
Non secus ac casta fertur nascente Minerua
Auratus Rhodios imber delapsus in agros.
Dixerat Henricus, volucrique simillimus auræ

A

Eripuit sese ex oculis, simul euolat ipsa
Francia, queis facilem frustra coniungere dextram
Conor. & agnosco fugientes excitus vmbras.
Annuite ô superi nec sint insomnia vana
Regalem seruate domum, permittite posthac
Liligerum iuuenem rebus florere secundis.
Euentura precor, salit en mihi dexter ocellus.

FINIS.

B

C



INDEX MEMORABILIVM QVÆ IN COMMENTARIO EM. CRVCEI CONTINENTVR.

C

ERRATA.

PAg.16.A Statiis l. statuis. P.17.B πελταὶ l. πλεκταὶ p.19.A Badeus l. Brodeus p.22.A Prohibuit l. Profiluit p.23.B. locus l. focus p.30.A claudat l. laudat p.33.C concedisset l. concidisset p.34.C πλατυγιάδες l. πελαργιάδες p.35.C quod vires l. quod viret. p.38.C in 7. l. in 8 p.40.A ὀνεργασίας l. διεργασίας p.51.C διότι l. βαθὺ p.54.B πυρκαϊνὶ l. πυρκαϊὴν p.54.C linquamus l. linquamus p.63.A Metuimus l. Petiuimus. Ibidem in vice l. in voce. p.64.B ὀνχάζειν l. στοχάζειν p.68 A ignem hyemen l. igneam, &c. p.80. C. Opus l. Opes. p.82.B contemptionalem l. coemptionalem. p.84.A Λίνκης l. Λίνκιν p.86. B hybria L. hybrida.







ERRATA.

PAg.16.A Statius l. statuis. P.17.B τελταὶ l. πελτταὶ p.19.A Budeus l. Brodæus p.21.A Prohibuit l. Prosiliut p.23.B. locus l. focus p.30.A claudat l. laudat p.33.C concedisset l. concidisset p.34.C πλαταγιάδεις l. πελαογιάδες p.35.C quod vires l. quod viret. p.38.C in 7. l. in 8 p.40.A ὀπωρυσίας l. ἐλιρυσίας p.51.C βιότη l. βιότη p.54.B πυρχαίνι l. πυρκαΐνη p.54.C linquamus l. linquamus p.63.A Metuimus l. Petisimus. Ibidem in vice l. in voce. p.64.B ὀνυχάζειν l. στοχάζειν p.68 A ignem hyemen l. igneam, &c. p.80.C. Opus l. Opes. p.82.B contemptionalem l. coemptionalem. p.84.A λέσχης l. λέσχην p.86.B hybria l. hybrida.



ERRATA.

PAg. 16. A Statius l. statuis. p. 17. B τελταὶ l. πελταὶ p. 19. A Budaeus l. Brodaeus p. 21. A Prohibuit l. Prosiliit p. 23. B. locus l. focus p. 30. A claudat l. laudat p. 33. C concedisset l. concidisset p. 34. C πλεσ-σγιάδες l. πελασγιάδες p. 35. C quod vires l. quod viret. p. 38. C in 7. l. in 8. p. 40. A ὀπεργεσίας l. θέσπρεσίας p. 51. C θιόται l. βιόται p. 54. B πυρκαῖαι l. πυρκαΐην p. 54. C linquamuis l. linquamus p. 63. A Metuimus l. Petiuimus. Ibidem in vice l. in voce. p. 64. B. ὀτοχάζειν l. στοχάζειν p. 68 A ignem hyemen l. igneam, &c. p. 80. C. Opus l. Opes. p. 82. B contemptionalem l. coemptionalem. p. 84. A λδυκὴς l. λδυκὸν p. 86. B hybria l. hybrida.



ERRATA.

PAg.16.A Statiuis l. statuis. p.17.B πελταὶ l. πλεκταὶ p.19.A Budeus l. Brodeus p.21.A Prohibuit l. Prosiluit p.23.B. locus l. focus p.30.A claudat l. laudat p.33.C concedisset l. concidisset p.34.C πλεοτιάδεσι. πλεονιάδες p.35.C quod vires l. quod viret. p.38.C in 7. l. in 8 p.40.A ὀργυιαίας l. θεωργιαίας p.51.C θιόπι l. βιόπι p.54.B πυρκαϊ l. πυρκαϊὴν p.54.C linquamus l. linquamus p.63.A Metuimus l. Petiimus. Ibidem in vice l. in voce. p.64.B ὀτχάζειν l. ὀτοχάζειν p.68 A ignem hyemen l. igneam, &c. p.80. C. Opus l. Opes. p.82.B contemptionalem l. coemptionalem. p.84.A Αβυκὴς l. Αβυκὸν p.86.B hybria l. hybrida.







